[illegible] complete.
4°, [XIV], 372, [24] pp
engr. title
5 fine engr. plates.

ANNVS
SECVLARIS
SOCIETATIS
IESV.


Accendit. Fructum dat. Frigora vincit. Dat florem.
ANNVS
SECVLARIS
SOCIETATIS IESV
Adumbratus
EX ANNO TEMPORALI
A
GYMNASIO TRI-
CORONATO VBIORVM.
Anno
Confirmatæ Societatis centesimo
Salutis humanæ MDCXL.
Sumptibus Hermanni Mylij

NVNCVPATIO
AD PRÆNOB. ET AMPLISS.

SENATVM COLONIEN.

Prænobiles, Ampliſsimi & prudentiſsimi Domini, Liberæ huius atque Imperialis Reip. Conſules, Quæſtores, Proconſules & Senatores.

SEcularem Annum ex copioſis Seculi vnius fructibuscollegimus, tanquam ex aceruo manipulum, Prænob. & Ampl. DD. quem ſub alijs, quam veſtris auſpicijs producere, quos Moecenates noſtros ac literarum Patronos agnoſcimus, nefas eſſe duximus. Nec leuibus ſanè rationibus perſuaſi illud facimus. Primùm enim inſignem illam Anni ſecularis fertilitatem, quam perfunctoria laude delibamus, Societatis quidem intelligimus laborem eſſe, ſed & honorem Veſtrum: cum quæcunque hac in vrbe doctrinæ pietatiſque ſementis eſt iacta,

quidquis frugis à Societate collectum, veſtra ope, veſtris ſub auſpicijs natum educatumque fuerit. Vos ante octo & nonaginta annos laudatiſſimis hiſce Colonis (ſic liceat appellare Societatis operarios) aperuiſtis hunc ſui laboris campum Coloniam, tanto nunc digniorem nomine, quanto doctrina ac pietate cultiorem. Quare Veſtro quidem Iure in partem tanti venitis meriti tantique honoris, quem Societas ex ſuo illo Virtutis literarumque propagandarum ſtudio hactenus viſa eſt promeruiſſe; vt proinde ad Vos non immerito redeat quod hoc in libello à nobis adumbratum, ex parte Veſtrum atque à Vobis profectum eſt. Huic accedit Veſtræ illa beneficentiæ amplitudo, quâ Societati non modo agrum hunc patefacere, ſed & defenſionis Veſtræ offerre decreuiſtis præſidia, adeoq; ipſa Vrbis veſtræ ornamenta Coronam triplicem, quam hactenus Societas, triplici velut cimelio, Muſis, Sapientiâ, ac Pietate conata eſt reddere quam ornatiſſimam. Vobis igitur defendenda iure optimo traditur hæc perſcripta à nobis Societatis exiſtimatio, quorum iam ante exiſtimationi ſuum Societas ita laborem conſecrauit, vt

Vos

Vos honorem ab illâ, illa à Vobis, præter mutuum honorem, ſecuritatem etiam acciperet. Sed erit, cum & de beneficijs veſtris & huius laboribus opportunius, vbi poſt biennium ſuſceptæ a vobis Societatis claudetur ſeculum.

Alia deinde nos cauſa ad hanc mentem compulit, beneuolentia in nos Amplitudinis veſtræ: quam, vt ceteros annos taceam, milleni hac tempeſtate Tricoronatæ Gymnadis Alumni experti ſumus. Veſtrum eſſe beneficium agnoſcimus, conceſſum apertumque nobis literarium hunc campum, nobis inquam ad emolumentum, Patribus non niſi ad laborem. Ipſa adeo Germania atq; Europa tota, in quam hæ literæ effunduntur, Veſtro hoc fauore, ſuo fructu delectatur. Hæc nimirum eſt eritque deinde laus Vrbis veſtræ, quod hanc paſſim exaudire vocem liceat; *Coloniæ probos mores ac literas didici*: quâ, ſi non omnes exclamant propalam, tacitè tamen apud animum ſuum vtuntur, atque vnius vrbis tot proborum Doctorumque hominum altricis Primores admirantur & amant: qui diuerſarum veluti nationum communes parentes, tam honeſtæ educationis bene-

ficium nemini denegant, offerunt omnibus. V-nam hanc esse vrbem intelligunt, quæ pietate inuiolatâ hactenus, literisq; toto orbe propagatis floreat, quæ omnes æquitate quadam communi gentes, beneuolentiâ singulari amplectatur & foueat; quæ, si rudem acceperit, doctum remittat; si dissolutum, probis moribus compositum; si hæreseos labe infectum, sanum atque integrum. Colonia certè est, & rectè Colonia, quę ita quamplurimos excolit; quæ omne virtutis inuitamentum habet, & doctrinæ illecebras; vbi Magnates ipsi exemplo magis, quam legibus probitatem persuadent; vbi docetur & discitur, quod & iuuentutem doceat, & senium deceat. Et hæc quidem agnoscimus nostra esse ad rectam educationem adiumenta, beneficia vestra. Quid plura? mille Vobis nominibus obstringimur; sed & nunc cum beneficium conamur reddere, cogimur petere, ac fauorem vestrum exorare, vt sub vmbrâ Ampl.nis V.æ in solem prodire liceat, liceat inquam authoritate vestra gratulari Societatis industriæ non per vrbem solùm hanc, sed & orbem vniuersum propagatę: liceat augere Vobis

annuen-

annuentibus, proborum omnium Societati toto orbe fauentium applausus; quos Annus ab ipsius natiuitate centesimus meruisse communi quadam consensione videtur; cum non obscuris lætitiæ argumentis passim vrbes & oppida, suæ non minus, quam Societatis felicitati gratulantur. Ecce hanc velut fructuum Coronam Prænob. & Ampl. Dom.bus V.ris qua Annus secularis suo fine coronetur, deferimus Coronatæ Vrbis atque Gymnasij Alumni; quam si vestris ornatam fauoribus, ac patrocinio defensam Societas acceperit, præclaro beneuolentiæ vestræ annulo Annum hunc obsignatum existimabit: tantò etiam venientibus annis Colona hæc, Vestra in Colonia enixius adlaborabit, quantò faciliores animos Vestros ad laborum præteritorum recordationem videbit. Faxint Superi, vt quàm diutissimè & Vestræ & illius felicitati atque incolumitati viuatis superstites.

Prænob. & Ampliss. DD. Coss. ac Senat.
Gymnasij trium Coronarum
Obseruantissima Iuuentus.

Chro-


Chronographicum ex Psal. 64.

VobIs, Coronæ annI benIgnItatIs IesVs & MarIa VIrgo beneDIXIt.

Chronographicum duplex ex psal. 94.

VenIte, In IVbILo eXVLteMVs Deo IesV noſtro.

VenIte, Vt IVbILeMVs In eXVLtatIone Deo noſtro.



ADMODVM RR.[dis]
EXIMIIS ET ERVDITIS PATRIB. SOCIETATIS IESV COLONIÆ,
Salutem.

QVod olim Romanis vſitatum fuit, REVERENDI PATRES, id modò & nobis liceat, coronare fontem vnde aquas hauſimus. Seculum eſt quo iam SOCIETAS ſuum illum ſapientiæ ac pietatis fontem ſitienti affudit orbi, floresque ac fructus virtutum peperit immortalitate dignos. quid ni ſuis hunc floribus coronemus fontem, & honori illius impendamus fructus, ipsâ irrigante natos? Collegimus pauculas aliquas, velut in meſſe ac vindemiâ copiosâ, frugum libationes, minusque etiam quàm decimas: de viridario patentiſſimo nonnullos floſculos, de vineto excultiſſimo aliquot racemos, aliaque

ex aliâ campi fertilitate decerpsimus, raptim mǎgis, quàm consilio. Hæc, præoccupati tempore, intra vnius mensis angustias, in *Annum*, quem hic adumbratum videtis ita digessimus; vt in *Vere Iuuentus literis, fide,* ac *pietate,* pulcherrimis *floribus,* adolescat: in *Æstate, Solis* regno, *Imperantium* luceat *prudentia, Doctorum* clareat *sapientia, Martyrum* flagrent *desideria,* vnâ *solis diuini luce* & *ardore* rapiantur omnes: in *Autumno* fructuum parente, *pomeria* domesticæ *pietatis, vineæ* proximorum magna *charitate* excultæ, ac piæ *animarum venationes* reperiantur: *Hiems* denique *patientiæ* theatrum sit, in quo aduersus maleuolorum *inuidiam,* hæreticorum *audaciam,* atque infidelium *pertinaciam* fortissimè decertet SOCIETAS totidem Virtutibus, quot Annus Mensibus celebrata. Quæ cum Virtutes non modo per totum *Societatis* æuum sparsæ; sed collectim in ea, quemuis annum tempusque occupent, palam erit, cur annuo velut spatio definitæ à nobis proponantur. Hunc igitur *Annum* Vobis demissè offerimus, Reuerendi Patres, multis iam antè nominibus vestrum. Tum quod nostri laboris primitias Vobis Cultoribus iure debeamus, illisque meritò

bona

bona verba dicamus, qui ea nos ſcitè formare docuerunt; tum quod ad Vos annalis hæc fructuum corona, ſuapte naturâ atque amoris quodam pondere inclinetur, ex quorum agro non leui acceſſione aucta eſt. Quod verò iſtius Vos iam pridem verecundiæ cognouerimus, qui ad apertas facilius laudes, quam calumniam impoſitam ſoleatis erubeſcere; maluimus alienis factorum in *Societate* gloriam; quam proprij nominis coloribus adumbrare: placuitque magis intra tenebras incedere, & aliorum curioſitati campum, veſtræ erubeſcenriæ velum facere. Accedit, maluiſſe nos eſſe, qui ſumus, Poëtas, ita tamen religioſè, vt fidei hiſtoricæ vis nulla fieret; ſed ad ea tantum libertas noſtra excurreret, quæ veritatem ornarent, non deſtruerent. Neque ſanè aliud, iam in anni meta conſtitutis, opportunius in mentem venit. Scimus etenim rerum à *Societate* geſtarum memoriam multis voluminibus celebratam eſſe; ſcimus Oratores, ac Poëtas complures longè magis in huius quàm Alexandri olim laudibus copioſè deſudaſſe; vt proinde nec hiſtoriæ, nec alijs famæ eius ornamentis, propalam & in luce po-

ſitis, noſtrâ accedere operâ dignum aliquid potuiſſe videatur. Quocirca ne actum ageremus, medio quodam inter omnes tramite, pro voluptate magis atq; impetu, viam hanc decurrimus, quam deliberato gradu inceſſimus. In qua ſiquid minus maturum, graue, conſtans, ac veſtro dignum genio reperietis: velim occurrere animo, & harum nos viarum inexpertos, & intra tenebras vagantes facilè potuiſſe offendere; feſtinationis tamen potius hoc crimen eſſe, quam voluntatis; maluimus enim in publica hac omnium gratulatione & plauſu, parum cauti, quàm inhumani videri. Habetis nunc paucis inſtituti noſtri rationem & cauſam. Vnde pateat alio nos conſilio has vmbras ſectari, quam tenebriones nonnullos & alienæ famæ arroſores canes, qui turpes impudentiæ ſuæ latebras circumſpexêre, vt poſt velum, audacius mendacia ac calumnias ſpargerent. Nobis ſi quicquam in alios immitius excidit, tale non eſt, vt lucem ſubterfugiat; cum nulla niſi perditorum hominum ſcelera, quæ in ipſa meridie ſunt poſita, culpentur; tantâ humanitate, vt cùm facta diſſimulari nequeant, nominibus tamen parcamus.

Iucun-

Iucundius enimuerò nobis visum est, præclaris heroum virtutibus, hasce etiam vmbras indulgere, non vt lateant; sed vti ex ipsâ hâc qualicunque nubeculâ pulchritudo illarum velut solis in iride, emineat. Accipite hanc propriæ Virtutis imaginem rudi adhuc & cespitante penicillo exaratam, in quâ, si minus vestrum pro merito honorem, nostrum certè amorem licebit intueri.

Adm. RR. PP. addictissima Gymnasij Tricoronati Iuuentus.

A D


AD BENEVOLVM LECTOREM.



I lucem in tenebris hiſce poſtulas: præmonemus, & vmbras eſſe tenues, & faces paßim toto anno ad pictam ſcriptamq; poëſin illuſtrandam ſparſas; vt niſi oculos hebetes, luciſq; impatientes adferas, peruidere omnia facilè poßis. Verendum etiam ſit ne nimij nos candoris reos facias, ſi veterum recentiumq; exemplis vtaris paria ſcribentium. Quanquam, quod abſque poëtarum fit vitio, nullius ferè exemplo (ſi totum ſcribendi genus arbitreris) aut veſtigijs preßim adhæſerimus. Quod ſi verò faſtidioſus Lector regiâ abſiſtat viâ, atque hinc inde opportuno importuno irrumpat aditu, ipſius indiligentiæ fauemus, atque etiam optamus tenebras. Cùm tamen non vnius artificis ſit opus, mirumq; videri poßit in re tali non aberraſſe ab alterius alterum linea; verbo affundemus lucem aliquam, quà inter ſalebras, ſicubi occurant, vtaris. Heterij *virtutes in* Annum ſecularem *ita diſtributas videbis, vt eas, rebus ex naturali anno petitis, tanquam ſymbolis, modò tantum adumbratas, modò etiam Eteſij opera explicatas habeas. Et in vmbris quidem & quaſi ſcripto emblemate quædam reliquimus latentia, ne ingenio Lectoris nimium diffideremus: eruimus alia, & manifeſta luce donauimus; tum vt imbecillioribus oculis facem præluceremus, tum vt acutioribus ipſa quoque varietate blandiremur.*


remur. Quis porrò Hetærius *sit, iam amplius non quæres, siquidem tuo vtaris ingenio. Et esÿ præterea, Eari, Calotheri, aliaq́ à Græcis ferè mutuata nomina, Annui-temporis esse, Veris, atque Æstatis haud difficulter intelliges. Ita & alia nonnulla turbato tantum literarum ordine inserta vocabula; vt est Magneria pro Germania, pro Rheno Hernus, nullo negotio restitues. Noluimus verò historias vulgò incognitas hac vocum licentia confundere, ne veritati aut fidem, aut lucem omnem adimeremus. Hæc paucis; quanquam ne his quidem prudens Lector indigebis.*





INTRODVCTIO IN ANNVM SECVLAREM SOCIETATIS IESV.

SOLVERAT ex Herni fluminis litore mecum Litholeon & Orarchon socij, nauigio, cui senex non nemo, ætate ac prudentia spectabilis præerat, recepti. Qui vbi nos de Hetærij esse palæstra obseruasset, liberalibus illum laudibus exornare, cœloque ac immortalitate dignum prædicare cœpit. Cumque nos ipsius honori impensè fauentes atq; in eam potissimum curam intentos animaduerteret, vt centenario iam heroi, de tantâ & temporum, & rerum gestarum felicitate gratularemur: hoc etiam obnixè ageremus, vt id ætatis atque memoriæ vir, nostræ ignorantiæ subueniret; Senex Diuis ista se debere professus est, quod Hetærium, si omninò quispiam, apprimè nouerit: cùm & eandem cum ipso ætatem vixerit, & factorum omnium arbiter, per illum, qui sibi à manibus sit, Mnemonem, nihil eorum neglectim omiserit. Stylo ac penicillo iuxtà valere Mnemonem ad fugientem temporum rerumque consignandam memoriam; sed intrà hasce diei angustias nequicquam tam prolixam de Hetærio cogi historiam; vel ipsa rerum capita, vt censeantur, plus spatii poscere;



Ignem alij, modò nos FONTEM dicamus AMOREM:
Errabit nemo; nam dat hic IGNIS AQVAS.

poſcere; neque ſe moræ aſſuetum quæ id ferret. vellent, ſecum tantiſper nauigio diuerterent: animi enim atque otii iucundi gratiam ſi quærerent, apud ſe non defuturam. Locum eſſe atque opportunitatem proximam, vbi voto, ad oblectationem etiam, fiat ſatis. curaturum ſe, vt & tempori, pròque arbitrio rurſus hîc adſint; & ne de Hetærio tam multa neſciant. Enimuerò montem non procul hinc omni curâ ac ſtudio naturæ artiſq; excultum eſſe: planitiē iuxtà, quam & rara fertilitas, & iucunda commendaret amœnitas. Iſtic rerum ab Hetærio geſtarum monumenta nobiliſſima aſſeruari. Flexit nos eâ humanitate atque indole ſermonis, vt omnis fraudis ſuſpicio excideret. Quare prouecti naue, quę ſecundo abibat vento ac flumine, ad colloquium conſedimus: vbi cùm meum, ſodaliumque accepiſſet nomina, notitiam generis noſtri ac parentum faſſus eſt, ſeque Eteſium vocari; in eadem ſecum naui filium, nepotem, proneptem, atque abneptem vehere. Appellabamus eum hac tam felici ſtirpe feliciorem patrem: enimuerò paucos reperiri hodiè, quibus hæc vitæ ac fœcunditatis fortuna nupſiſſet. Maius verò illud cenſueritis, inquit, quòd filios eiuſmodi quatuor, nepotes duodecim, proneptes duas & quinquaginta, abnepotes (quot & abneptes) ſexaginta quinque numerem & trecentos. Excepit ioco dicentem Litholeon. Num, ait, vxor tibi eſt Comes Bataua, quæ vnico tot effudit partu, quot & tu modò, liberos, & dies annus cenſet? Si libet ridere, ſubiicit Eteſius, ridete Orgentorigem decem

ex ſe nata millia recenſentem; aut etiam Hetærium ve-ſtrum domeſticos non pauciores numerantem; qui vnum illum parentem vocitant;& (quod etiam in Stoâ admirantis mereatur exclamationem) ijſdem legibus ac moribus viuunt, veſte, cibo, domo aut pari vtuntur, aut communi: ſimul vigilant, legunt, dormiunt, quieſcunt, cor adeò atque caput vnum habent; in labore tamen non perinde vna manus, ſed Centimani videntur. Rara hæc fratrum gratia, quam tamen in Hetærij familiâ orbis modò obſeruat vniuerſus. Auidos ea tenuit oratio; ſed appulſos ad littus monuit, fore cùm ea de re luculentiùs poſſet diſſerere: abſcederemus modò naui ad montem haud procul ſpectabilem. Surgebat is exporrectâ in circuitum planitie, quæ vallis muriſque non perfunctoriè ſepta, difficilem faciebat venientibus aditum. Vbi acceſſum propiùs, triplici murorum, certo interuallo ſurgentium, ambitu muniri locum deprehendi. Portarum prior humiliori opere duabus columellis exceptum tranſuerſim ſuſtinebat lapidem, lapis inciſa ferebat Zodiaci ſigna, quadripartitim modico interuallo diuiſa, quibus Sol in quadrijugali curru hæreret medius, adiectâ hac epigraphe MAIOR DEI GLORIA.

Nobilior altera ex marmore porta in arcum ſurrexerat, complexa tabellam, in qua emblematica arte orbis medijs iactabatur fluctibus; inſigne ferens quo ſuper vndas eminenti curſum moderabatur, videlicet H cum ✠ inter literas I & S media, inſcriptione addita:

Hoc

Hoc in ſigno vinces.

Tertia deinde porta erat ex ære fuſum atque compoſitum opus, in quo & prior ille eodem cum inſigni orbis alas explicabat, quibus aëre medio ſupra omnes fluctus eluctabatur, atque aſtra cœlumque multa luce illuſtre ſubibat, hoc titulo:

Sic ſuper aſtra feror.

Hæc non per quietem & otium, ſed ſubita curioſitate, poſt tergum Eteſij curſim delibabam; cùm Mnemon lateri adhærens in aurem ſuſurrat, Hetærium hoc orbi incumbens inſigne à Soterio Rege ſuo (cui id peculiare) acceptum vſurpare, atque hiſce ſchematibus ſuum ipſi exculti orbis laborem, & oſtendere, & dedicare. Porrò ea me intellecturum pleniùs, vbi cætera luſtraſſem. Via qua denique præibat Eteſius, arboribus vtrimque ceu muro ſepta, vix curioſos in excurrentem latè campum oculos admittebat, ſenſimque in accliuem ducebat montem, difficultatem itineris arborum atque vmbræ gratia mitigans. Hanc viam ab Occidente (vnde venimus) per ipſum montis caput in Orientis plagam excurrere, ac deinde alia ſecari media, à Septentrione in Meridiem vergente, aſſerebant.

Euiceramus iam montis faſtigium, in quo ſeſe iucunda, quamuis anguſta, explicabat planicies. Fons viuus in medio, dubium, naturę an magis artis in eo ſuſpiceres miraculum: ſiquidem natura frigidos hinc, inde calidos per diuerſos ſiphones ſpirabat latices; ars verò eductas ex montis

viſceribus aquas in altum euexerat, & ære Corinthio pulcherrimi operis fontē eduxerat. Labrũ inferius aluo capaciſſimâ exceptas aquas, eaſdem (cùm ad vſum abundarent) per ſuppoſitos canales reſorbebat, in ſubiectos agros vario artificio diſpertiendas. Illud admirationem omnem vincebat, quòd quæ ad Septentrionem verno iam tempore defluebant, atque in montis latere de ſiphonibus exſpirabant aquæ, ſubito frigore in glaciem rigeſcerent: quodque vbi deſpectum longiùs, arborum aduſtæ frontes, altæ apparerent niues, immitiſque ventorum iniuria vaſtaret omnia. Secus vbi in oppoſitam montis regionem demiſſa oculorum acies; viride pratum, frondens arbor, culta ſeges, iucunda auium modulatio, lenis abblandiretur Fauonius. Monuit nos re tam inſolenti defixos Eteſius, montem hunc cum accumbentibus ad pedem campis admiratione non vacare; quòd eodem tempore omnem anni tempeſtatem brumalem & æſtiualem, vernam atque autumnalem admitteret. Sed nec carere exemplo, Mnemon ſubiecit; quòd pares huic montes, ac inſulas orbis nôſſet, in quibus memoranda illa Malabarici regni plaga, quę Regi Calecutano paret, atque ad ortum trans Gatis iuga ſiccitate atque æſtu
Maff. hiſt. Ind. l. 1. perpetuo feruet; cis montem ad occaſum hyberno atque intempeſto frigore; vt proinde horæ ſpatium ab vere atque æſtate, ad autumnum ac hiemem profecturo ſufficiat. breui nos, ſi quidem adlubeſceret, paria hoc loci comperturos. Interea aduerti ſuperiori fontis labio quaterna inniti ſimu-

lara

ſacra, totidem anni tempora referentia. Ver ex Smaragdo, iuuenili parebat fronte, habituque floribus diſtincto, roſis caput redimitum, & ornata manus. Æſtas ex Carbunculo, robuſtior & corpore & ætate, humeros pectuſque nuda, ſpicis caput, cornu-copiæ manum inſtruxerat. Autumnus ex Hyacintho nunc nubilo, nunc ſereno; ventris erat capitiſque mole grandior; pampinis velut hederâ à pedibus ſurgentibus implexus, comaſque fertili corollâ ambientibus cinctus, pomiferum læuâ ramum tenebat. Hiems ex Adamante, & ſenio, & frigore ſtabat contracta, ſtirijs ex ore pilis horrente pendulis, manu baculo fultâ. Alterâ omnes, ſeu læuâ, ſeu dexterâ, pateram eleuabant, quâ defluentes ex eminentiori ſimulacro aquas exciperent, ac per nodum orificio pateræ ſubiectum redderent. Surgebat hoc ſimulacrum ponè reliquorum capita, columnæ de corde fontis emergenti impoſitum, quod raro ſchemate admirandum, multo nos tempore detinuit. Erat nudi capitis adoleſcens, talari indutus togâ; in quâ ea fuit artificis elegantia maxima, effeciſſe, vt in nobili metallo habitus pareret ignobilis. Sparſa deinde per talarem vocabula gemmæ diſtinxerant. Fronti hæc fuit impoſita epigraphe. *Æſtas & hiems.* extremę veſtis orę, *Mors & vita.* Cordi denique, quod luculento vulnere ſciſſa toga ſpectantibus obijciebat nudum, digituſque manûs in arcum flexæ deſignabat: *Longè & propè.* Cùm ad me Litholeon verſus, Sanouiſe, inquit, nihil me fallit memoria, ita Apelles non nemo domi veſtræ antiqua in tabella

Gyral hist. Deor. syntag. 1.

bella Amorem [a] adumbrauit; sed vt minus eiusdem hanc imaginem interpreter, facit insigne dexteræ manui insertum. erat hoc Soterij, idemque cum illo, quod præ foribus portarum repertum antea, Crucem tribus impositam literis tulit: nisi quod in ęre tenui lunata ambiret inscriptio: *Omnia in eo possum.* Triplex etiam ex crucis huius totidem alis exultabat in subectas statuarum pateras latex. Sed & ex corde vberiori aliquantò vena emanabant aquę in subiectum Veris calicem.

Etesius deinde leni risu alloquioque ad nos versus: quid, inquam, de isthac icone? vt placet? vt vultum & habitum fert? nunquid ad elegantiam & raritatem omnia? quid si demum aliquid ad votum vestrum, ac meum promissum? Non morabor: Hetęrij ista effigies est, quæ paucis designat multa, & non compendiosam virtutem compendiò indicat magis, quàm explicat. Et quid mirum, si cum antiquo Amore nouus hic proborum *Amor* conspiret? Seculum est quo viuit, & ita vt antiquis inuidiam facere seculis, nouo gloriam potuerit adijcere. *Nudum* ille *caput* Diuis geminis, Labori & Honori obseruandis defert. Laborem illum colit, quo sibi orbique salutem, Deo gloriam adstruat. Honorem, quo famæ virtutisque integritatem sibi, maioribus iuxtà ac minoribus venerationem præstet. Neque hoc ipsius propositum euertere, aut *æstatis* fortunæque blandimenta, aut terriculamenta aduersantis *hiemis* poterunt. Robustior est, quàm vt illis nutet ludibrijs: crepun-

dia

dia ſint,an machinæ,ſus-deque habet;illis non capitur pueriliter,his non frangitur. *Mortem* denique nemo poteſt obijcere,vt Hetærium terreat; ita huius acerbitatem contemptim habet, cùm ſub eam & honeſtum malorum remedium,& laborum exſpectet præmium. *Vitam* porrò non tam ſibi quàm alijs,inimicis iuxtà atque amicis,viuit. omnium ipſe ſeſe impendit commodis,omnibus natus eſt:non locus, non tempus,non ordo aut perſonæ neglectus, hunc amorem laboremque extorquere, nec mors ipſa, niſi inuito poterit.En *pectus* ſimplicitate *nudum*, amore *patens*. mundi opes ſunt, quæ iſto conduntur ſcrinio: ſuum hîc orbis habet ærarium. Luſtrate totam Hetærij familiam, & ad hoc exemplar fictos fuſoſque reperietis innumeros. Decem primi ſub Hetærij (aut, ſi mauis,Soterij) inſignibus,auſpicijſque milites Orbem partitim, Europæos alii, alii Indos aggreſſi, quot breuiſſimo tempore eiſdem ſub ſignis nepotum millia cenſuerunt? quantò ijdem omnes impetu ad laborem toto orbe verſi? quantum operæ ſedulò nauatæ tulerunt pretium? Sed ſtrictim hæc tradidi,atque non niſi in cortice Iliadem:erit cùm enucleatiùs.

At ne ignoretis, quid murus portaque, quâ vos huc adduxi,triplex.Hęc ad defenſionem erecta munimenta nemo dubitet: Siquidem Hetærio murorum loco paupertas nuda, caſtimonia innocens, & obſequendi promptitudo eſt, pro quibus ipſius domeſtici iunctis armis vigiliiſque excubant.Omnis etiam Hetærii ſociorumque labor atque indu-

ſtria; omnis in hoſtem lucta atque defenſió, quâ toto Orbe claret, intra hæc murorum verſatur propugnacula. Hîc otium nemini, niſi ad defatigationis medelam indulgetur: ſua quemque prouincia occupat, & quantum valetudo patitur, labor indefeſſus; ſed quod miremini, laboris nulla omnino ab hominibus laus, nullum plerumque præmium, quàm quod rependit calumnia. Sed vt allium iuxtà ſe roſæ odorem acuit, ſic lucem affundit operi tolerata pro laude calumnia, atque ille portæ titulus imperterritos ſolatur *Maior Dei gloria*.

Ceterùm non eſſe abs re iſtic in portarum capitibus ſcutisq́ue deprehenſa glyphica: Solem in Zodiaco, ſub dictâ epigraphe oberrantem; Orbem fluctibus periculosè merſum, ac Hetærij inſignibus velut remo in portum eluctantem; denique iiſdem iam alatis in cœlum enitentem. Hetærium enim iam ſæpiùs cum Sole annuum tenuiſſe curſum, ſuo in Zodiaco, qui *Maior* eſt *Dei gloria*, in hoc exorſum, in hoc finijſſe, ac denique viam remetiri. Orbem periculoſis hinc hæreſis, inde impietatis procellis agitatum, Hetærij ope, naufragio imminenti ſeſe ſubduxiſſe, iamq́ue etiam altiora, quæque cœlum ac virtutem ſapiant, meditari. Hinc tam illuſtria paſſim Muſarum Virtutumq; monumenta ac trophæa de vitijs, de profligatâ ignorantiâ, circum hunc montẽ aſſurgere, teſtimonia impenſi ad immortalem gloriam ab Hetærio laboris. Vnum hũc eſſe de montibus Dei, vnde & terra deſpici, & cœlum propiùs poſſit videri.

Inter-

Interpellabat ita orantem missa ab Earo (maior is natu, & in quatuor filijs parenti erat gratior) proneptis Hesperia, quæ eius nos ad domum rogabat hospites. Annuit Etesius, & nos compellans, manendi ad quatriduum deferebat gratiam, interea luculentiora pollicitus; nostro tamen (siquidem hodie redire nobis esset deliberatum) arbitrio se regendum asserebat. Gemino omnes tenebamur vinculo, cognoscendi auiditate, & senis humanitate. quare non inuitos in propria nos emolumenta concedere ostendimus. Secum igitur viâ ad Orientem flexâ omnes deduxit. Mnemon tum fortè carmen à sorore Mnemosyne submissum, & Hetærio honorando ab ipsâ scriptum voluebat, illi quod in fonte obseruauimus schemati perquam aptum. Tale erat:


Macte nouis titulis, Tibi quos robustior ætas
Et Virtus firmata dedit: quos longa tuorum
Fatorum series, duris\'q; exercita rebus
Sors meruit. Te pulcher Amor, *Te mactat* Hetæri
Pulcher Amoris *honos. Tua nunc monumenta laboris*
Aurea, perpetuis surgunt fundata metallis.
Sic meruit quicunque tulit Virtutibus arma,
Obiecitq́; caput sceleri, sacrámque Mineruæ
Hastam agitans, doctæ rexit vexilla cohortis.
En Tibi nunc plaudit victrix Sapientia. regnum
Musarum: & studijs cultum melioribus æuum

Debet iure Tibi. Per Te pretiosior esse
Vilescens pietas, & iam moritura fauillis
Surgere visa fuit. per Te exarmata repreßit
Hæresis effusum latè per regna furorem.
Tu verbis factisq; animos virtute minores,
Quod metuunt, audere facis. Tu moribus imples
Infensis sceleri, pulchroq; accendis honesto,
Nec Mortis *metuens, nec* Vitæ *blandus amator.*
Te propè *Te* longè *celebrem pietasq;, fidesq;,*
Et zelus prouexit ouans. non frigida terret
Bruma, *pruinosis quamuis impexa capillis,*
Et gelido frendens Boreâ: maioribus ardes
Ignibus, euincitq; leues tua flamma pruinas,
Inuidiæ fluctus, tempestatemq; furentis
Hæresis, & tristes quos atra calumnia ventos
Parturit, impellitq; odium, atq; æmulus ardor.
Nil furor Æstatis *terret, sinuosáq; Cancri*
Brachia, conspiransq; Leo flagrantibus astris.
Te meßis fœcunda rapit, segetisq; voluptas
Grandior accendit. nosti quod speret arator
Nequicquam, culpetq; pigros sine frugibus annos,
Si persuasuros fugiat piger ipse ligones.
Ver *fauet, & placido clementior aura sereno*
Aspirat, dulcesq; animas, & barbita syluæ
Extimulat volucres, & honestis laudibus vrget
In famæ pæana tuæ. Tibi vitifer *adstat*

Autum-

Autumnus, *totusq́ Tibi ſubmittitur annus*
Pomifer, & meritis ornat tua ſecula donis.
Ite noui rurſum tantis Virtutibus anni,
Et faſtos implete nouos. Tu portitor æui
Et vector ſignorum Aries, *cœlo aurea ſparge*
Vellera, & abiectis rege mitia cornibus aſtra.
Taure *acer:* Gemini *faciles: &* Cancer *aduſte:*
Sicce Leo: Virgo *improlis:* Libra *æqua dierum:*
Cauda minax ScorpI; *metuende* Sagittifer *arcu:*
Torue Caper: *puer* Hydrophore: *vltima ſidera* Piſces
Ducite labentes aſtris felicibus annos.





VER
ANNI SECVLARIS SOCIETATIS IESV.

MARTIVS,
CONTINENS INSTRVCTIONEM Iuuentutis in litteris.



OLE iam ad ortum emergente, erubescebat cubile tenui radiorum allapsu, & gallinaceus alarum plausu, cantuque alacriori salutabat diem. Mihi etiam vix vmbra abeuntis somni hærebat in oculis: cum ex vicinia vox cuiusdam allabitur, quæ reliquias soporis prorsus disijceret.

Surge puer, vigiles Aurora procatur ocellos,
Et cupit ex vultu lumen habere tuo.
Surge, (quid immodicos somno trahis ebrie ronchos?)
Aut tibi pro Eoâ, Murcia nubet anus.

Tantâ, vt interpretabar, hospitis inciuilitate prouocatus, patientiam ferè omnem amiseram. Litholeon verò rem, vt erat, propiùs arbitratus, ridebat liberalissimè. Tum

&ipse,



PLANTA *tribus gaudet, totidemq;* IUVENTA *fouetur:*
Jmbre, solo, radijs; moribus, arte, fide. 14.

& ipſe, qui ludum hunc fecerat, ex propinquo angulo pſittacus neſcio quid cachinnorum, velut ad æmulationem, dabat: vt quàm ante ſtomachum, tam mox ſplenem mihi concitaret, illiusque in mentem veniret, quod identidem puero mihi, vti hæc auis, Didaſcalus accinebat, ſurge agedum, *Aurora Muſis amica.*

Subhæc vbi ſtratis abſceſſum, officiosè Himerus aderat, & rorem herbis excuſſum (quem faciei nitorem conciliare ſagaciter dictitabat) affudit manibus. hoc viſo, rurſum exclamare pſittacus. *Surge puer, ſurge.* Sciſcitantibus de aue nobis, ſecum illam vt plurimùm eſſe aiebat. Manè ſe ab ea primo diluculo conſuetum excitari: huc nunc appendiſſe, vt hoſpitibus gratiam & iocum faceret. Similes complures Earo eſſe multis artibus excultas, quas à teneris vnguiculis atque ipſo nidiculo, formante Magiſtro, combibiſſent: maturiores iam contra omnem inſtructionem obfirmari. Tanti, inquit, refert, quibus cum ætate adſueſcas; diſciplinæ, an ignorantiæ: virtuti, an vitio. natura nulli, cultura multis deeſt. Simul ſequi nos ad Eteſium iubet. Cum ad me Orarchon verſus; En, inquit, Sanouiſe ſenem in puero. ex Socrate iſta atque Apollinis tripode diceres.

Eductos excepit cum Earo Eteſius; ac modò, ait, tempus eſt agris hortisque ſeſe amœnioribus oblectandi, cùm pubeſcentis iam Veris prima lanugo, in ſyluis, campis, ac viridariis emicat. vti homo, ſic gramina & flores, in prima ætate magis

te magis placent. fruamur hac temporis liberalitate. Quocirca in hortum proximum conceſſimus. Muro is erat non lapideo, ſed arboreo ex plantâ ab Indis Goanis ſubmiſsâ (Manglam vocant) ſeptus. Hanc ſolam memorant ingenti ſyluæ conficiendæ ſufficere, ramis arcuatim terræ inſinuatis, in nouam radicem atque arborem ſuccreſcentibus; vt terna hominum millia plantæ vnius vmbrâ haud difficulter admittantur. Nos, inquit Eteſius, Peripateticis ſuas porticus non inuidemus, hac arbore freti: ſiquidem illa citra ſumptum ac magni laboris impendia, ambulationes nobis longè etiam gratiores inſtruit. Vt has cum Hetærij Gymnaſijs, literatorum hominum porticibus, quæ gratuitò omnibus patent, libentius, quàm cum illis antiquorum, comparem.

Maio. lus in diebus Caui cul. & hiſt. Ind.

Ingreſſis hortum amœna quædam ſeſe offerebat planities, quæ hinc atque inde malis perſicis, prunis, ceraſiſque grata varietate mixtis eſfloreſcebat. Laudabam atque admirabar martias illas iamque in florem ſolutas arbuſculas; atque inprimis Capalin ex India arborem, quam ceraſis noſtris non abſimilem (niſi quod floribus eſſet conſpicatior) oculis aiebant purgandis aptam: linguæ etiam aſperitatem ardoremque fructuum ſucco mitigantem; quem primò amarum, denique ſuauiſſimum daret. Quæ mihi arbor Literarij ſtudij naturam perquam accommodè viſa eſt referre.

Proximè locus erat multâ florum diſtinctione iucundus.

In his

In his Veris primitijs efflorebat Rof-marinus, cerebri memoriæq; confirmandæ præfidium: hyacinthi ac violæ, colore, quo erant vario, atque odore gratiffimæ. O dulce, exclamabam, atq; innocens veris lenocinium! voluptas, quâ abfque noxiâ frui conceffum eft! Cum ad me verfus Etefius, Tanta, ait, eft rerum in ipfo æui flore pofitarum gratia. Quod ver in anno, in homine adolefcentia eft; vtrumque floridum eft, vtrumque delectatione pleniffimum. Illud iuuenilis oris decus, genarum purpura, oculorum gratia; quid aliud, nifi in vere flores, aurora in diluculo, fol in cœlo? Adde nunc floridiorem animum, fine nube amœnum, fine fuco candidum, fine vitio integrum. O inuidendam veftræ ætati elegantiam! fi diuinæ homines pulchritudinis imaginem fortimur, multò illa in vobis relucet maximè. Gratulor tibi ô florens adolefcentia: fi tamen omnem tempeftatis (quæ incumbit plurima) deuites iniuriam. Multa funt, quę iftam tibi ætatis prærogatiuam inuident. Flofculus aliquis plura pericula, quàm, aut dies numerat, aut folia. Hyacinthus ludo, Narciffus amore perijt. Teneræ arbufculæ vt deflorefcant, pruina poteft vnica. Bene de illis meruit, qui has fouendo curandoque contra aëris defendit inclementiam, alimenta ac fuccum affudit radicibus, deniq; ad fructuum maturitatem educauit. Hetærio hanc gratiam plurimæ ex vobis adolefcentium plantæ debent, qui fi minus illam vitę ac corporis; certè hanc animæ pulchritudinem contulit, quæ in fcientiarum venuftate confiftit: illum fructum; qui

D ex

ex rerum cognitione,cum honoris, tum virtutis dulcissimus subnascitur.

Porrò cum multi florum immaturo adhucdum vere intra nodos delitescerent, & iam velut ad partum suum, & apertam lucem aspirarent; Mnemon intento in solem digito, Lemma hoc, tanquam emblemati viuo allusurus, apposuit, *Nodum ille resoluet.*

Simulque eductâ de libello pictâ imagine Loiolæum mihi heroem puerperarum difficultatibus, celebri passim ope, medentem, in ea adumbratum designat. Ille, addit, infantibus est, quod Sol floribus, non scientiam modò, sed & vitam huic multi adolescentium acceptam referunt. Nimirum vt terra soli, non tantum floris pulchritudinem; sed & natiuitatem plerumque debet, sic Loiolæo complures geminum beneficium, natalium & literarum tribuunt: vt suo nunc iure inter adolescentes vsurpet Hetærius, quod inter arbores olim Cyrus, *Istæ mea manu sunt satæ.* Allapsa subinde flori apicula, occasionem dedit exemplis, quibus Hetærius præcipuos Christianæ Reipubl. flores, Vrbanos apibus gaudentes, Austriacos, Bauaricos, Gallicos, in Musarum viridario excoluisse ad illam scientiarum gratiam, quâ nunc orbi placent, dicebatur. Et hi sanè Mnemon, inquit, principes totâ Europâ Viri, tantâ, post sapientiam, Virtutum commendatione fulgent: vt priorum seculorum inuidiam, futurorum memoriam æternam mereantur: atq; ornatissimus Hetærius, illorum laude, videri possit. Vnam,

oro,

oro, Bauarorum familiam, immò vnius familiæ viros pauculos, quos vna ætas, vna apud vos Colonia videt, attendite, Ferdinandum, Franciſcum, Maximilianum: horum imbibitam cum literis manſuetudinem, prudentiam, continentiam, ceteraſque magno ordine virtutes cenſete: an non hic illuſtres characteres & viua quædam monumenta Hetærianæ induſtriæ conſpicitis? an non de his illud Cyri Hetærio poterit indulgeri: Iſtæ meâ manu ſunt ſatæ. ſiquidem ab illo literas, & his admixta virtutis rudimenta hauſerunt. Felix ſeculum quod tantis heroibus dignum fuit!

Sub hæc ſimiolus aliquis hortum oberrans, vbi Hemerum (quo puero delectabatur) obſeruaſſet, ludibundus accurrit: quem cum Hemerus de officio hoſpitibus hiſce præſtando compellaſſet; nihil ille moratus, decerptum iuxtà ex areolâ floſculum, officiosè in pedes enixus, Orarchonti porrigit, tum ordine ad Litholeontem, deniq; ad me eodem obſequij genere verſus, ſuauiſſimâ omnes hilaritate perfudit. Mira erant & rationi proxima, quæ de animalculo hoc enarrabant. vt arithmeticam ſcitè, & ſartoriam ad æmulationem calleret: vt talorum alearumque ludo non vti modò; ſed & ſciret vincere: vt tabernam potatoriam cum victo victor adiret, & lucrum ipſe combibonum vnus ad ſymbolam expenderet. Paria his compertiſſima iam in regione Peruana eſſe, & extra ſaltem admirationem, ſi minus riſum. Hunc modo ſimiolum iſto arborum flore delectari, obſeruare indies atque etiam in æſtu, ac ſiccitate frigidam ex pro- Euſeb. Nier. hiſt. nat. lib. 1 c. 13.

ximo fonte hauſtam affundere, ſpe fructuum, quorum ſitauidiſſimus. Intereà Hemerus citharæ adferendæ gratia dilapſus, rurſum aderat. Explicato porrò in lapide ad viam inſtrumento ſimiolum inuitat, calamum porrigit. quo ipſe per vngues apprehenſo, explorat primum fila; deinde luſurus auſpicia Hemeri exſpectat, quem cantum, ac tonum præeat. qui ſimio lepidiſſimè calamum admoderante, illud Ouidij præcinuit:

" *Phillyrides puerum citharæ præfecit Achillem,*
" *Atque animos molli contudit arte feros.*
" *Qui toties ſocios, toties exterruit hoſtes,*
" *Creditur annoſum pertimuiſſe ſenem.*
" *Quas Hector ſenſurus erat, poſcente Magiſtro,*
" *Verberibus iuſſas præbuit ille manus.*

Applauſimus Mimo tam lepido, & rara adeò naturæ in brutis miracula vno ore celebrauimus. Cum Eteſius: veſtrâ vos opinione aberrare nolim; ne videlicet hoc totum naturæ detur, quod aſſuetudini, arti, morumque exemplis debetur. Ab annoſa ſimia, quæ in ſyluis inter feras adoleuerit, nihil exſpectandum, niſi ferum atque ſylueſtre. Naturam, vbi inualuerit, alienis moribus non imbui; vbi tenera ſit, etiam in beſtijs ad humanitatem erudiri. Ceram eſſe tractabilem, quæ quod impreſſeris viuendi exemplar, & qualia præceptorum lineamenta exceperit, ea denique tempore indurata retineat.

Non ſubterfugit ſagacem Hetærij animum ea rerum indoles,

doles, cum litteris ac bonis moribus (quę ingentem plagam tulerant) curandis, teneram primùm ætatem aggressus, Orbi vniuerso saniora persuasit. Numerate imperia, regna, nationes, prouincias, vrbes, oppida, atque in ijs omnibus Musarum palæstras, palæstrarum capita: & hunc vnum formandæ iuuentuti laborem æstimate, quid præter admirationem de Hetęrio loquemini? pensate mores, disciplinam, sedulitatem ac fructum, quo litteris iuxtà ac virtute imbuuntur; & isti operæ decernite pręmium. Tantis modò compendijs ad ipsam sapientiæ arcem per omnia Musarum Sophiæque propugnacula excurritur, vt quindecennes complures, & quos vix scitè vernacula vti existimes, pueri argutè philosophentur: itáque omnem disciplinam perspectam habeant; vt iam senes mirentur, sese tot annorum ac studiorum impendio adhuc esse pueros.

Antę Hetærium vix Philosophus nisi barbatus: hæc ætas ante barbam sapere, atque optimum ęui florem aut religioni augendæ, excolendæve, aut reip. emolumentis impendere didicit. Inuenti sunt extemporanei Rhetores duodecim annos nati, qui Romanâ linguâ vt vernaculâ vsi, de quauis re moniti dissertationem instituerent: quorum vnus etiam publicè dicendi artem professus, in Tragœdijs abs se scriptis veterum laudem est assecutus: in orando tam vehemens, vt viris ætate grauibus excuteret lachrymas. Non nemo id etiam ætatis Theologicarum rerum difficillimos nodos ita explicabat, vt viro minimè imperito in disceptatio-

Bonif. l. 2. de præcl. puer.

 nem

nem admiſſo ruborem iniiceret. Alter Rheni Superioris accola ab Hetærij diſciplina ad paternam domum retractus, quod cum ignorantia ſimul Hęreſim depoſuiſſet; quatuor verbi (vt aiunt) diuini Buccinatoribus, à parente ad inſidias in conuiuio adornatis, ita os concluſit argumentorum vi; vt præter ſilentium nihil reponerent, & domo magis eijcerentur, quam abirent. Ipſi Ruthleani, ac Lucianiſtæ æmuli Hetærij ſua id ſatis probant contentione atque inuidia, cum perinde vt ſi Hetærium antagoniſtam ferrent vnicum; ſic in eo bilem omnem, ac vires conſumant. Tam neutiquam talpæ hi ſunt, quantumuis cœcutiunt; vt illos fugiat, quid ſit tenerioribus animis ſapidæ doctrinę ſuccum affundere. Sed ne apud illos exſpiraſſe litteras putes; docentur quæ dedoceri fas eſſet. Multi virus ſuum (vti eſt probibitis ſimia improbitas) adoleſcentioribus propinant, vt ne ſentiant ſe mortem bibere.

Vtrorumq; hinc Sectariorum, indè Hetærianorum operi regulam appendite prudentię, & rectitudinem metimini. Illic ſicubi Muſę admittuntur, virgines eſſe non poſſunt; ſed pro caſto Apoinęllo impuritatis eſt officina: indiſcreta Poëtarum lectio, Ouidij amores, Propertij ignes, Tibulli illecebræ: & tanquam hi parum perditè, & frigidè nimis poëtizarēt, noua etiam horum Magiſtrorum voluptatis lenocinia, voragines, ac ſcyllæ ingeniorum reperiuntur. Quis inter hos ſcopulos Adoleſcentiæ portũ: inter hæc Sirenum blandimenta hiſce Argonautis Orpheũ promittat? Illic de litteris

ris nonnulla,de virtutibus nulla pręceptio:nō quotidianus ſacrorum cultus,orationis frequētia,pietatis lucrum. Nulla ſcelerū expiandorum erubeſcentia,virtutis norma,glorię diuinæ ſtudium. Ad libertatem proclamant,id eſt,vitiorum ſeruitutem. In hanc zizaniam generosè falcem immiſit Hetærius. Ita putauit noxiam illam Poëtarum luxuriem: vt labruſcis ſublatis, vitis hæc vinum, non venenum propinet. Flores reliquit,& ſuſtulit floralia. Hinc caſta in omni iuuentute vt lectio, ſic oratio. Portentum, ſi in ſcholis ipſius Adoleſcens caſtitatem turpiloquio pungeret. Quam iſta aliorum praua licentia,& hæc commendanda ſeueritas! Inter flammas adoleſcimus: & quis huic incendio nō aquam depoſcat,ſed oleum? pronam libidinem præcipitio incitet, & ſceleri non exemplum modò, ſed & auctoritatem publicâ profeſſione faciat?

Porrò illis Hetærius legibus & admittit, & erudit adoleſcentiam;vt improbo eſſe impunè nemini liceat. Superûm baſilicis, ſacriſque operantium pietati nō otiosè aſtandum indies. Diui ante,atque in ipſo ſtudiorum opere quot horis implorandi. Expianda ſunt pœnitendo ſcelera. Explorantur ad normam virtutum mores. Litteris admiſcetur probitas;vt ea ſenſim combibita vitiorum frangat contumaciam,& in naturam commigret:ne,quod pronum eſt, iacturâ virtutis doceantur eloquentiam. Impiorum præputantur commercia, ne oleo flamma accedat, & ſcelus contagione ſerpat. Magiſtri ij dantur, quos ante Religionis exercuit

pro-

probatæ Gymnaſium, quàm in Muſarum cathedrâ præſideant: qui etiam tacentes multa doceant,& erudiant exemplis. Simia etenim omnis eſt iuuentus: imitatur quod videt, & neſcia in virtutis aut vitij aſſuetudinem deflectit. Cyrus à Pytarcho, Alexander ab Ariſtotele, Iulianus à Libanio ita hauſerunt litteras, vt & vitia. Laudabilia loqui atque etiam viuere, laus eſt gemina Hetærianis nondum derogata: ad quam ne antiquis quidem Philoſophis aſpirare licuit; qui (niſi nos fallit Seneca) non ſecundum virtutem vixêre, ſed locuti ſunt.

Inter hanc diſſertationem (quam quod exciperemus auidius, aliquantulum produxerat) ad hortenſes genios delapſi, offendimus alios areolis excolendis, & iaciendâ ſemente occupatos; alios vineolis præputandis, atque ad legem & ordinem conſtringendis intentos: cumque ex vitibus nonnullæ, ceu clade accepta, lacrymas quâ parte vulnus acceperant, funderent, Mnemon ijs hoc aſperſit verbo ſolatium: *Hæc damna iuuabunt.*

Vineæ ita caſtigatæ, inquit, illud Poetæ competit,

-----ab ipſo

Ducit opes animumq́; ferro.

Ceterùm Lauris regiam vtrimque viam ſtipantibus hæ vites nectebantur: quod vbi admiraremur, audiuimus hac arte, & vberiores, & maturiores fructus illas facere. Tum, vt erat Eteſius ad rei cuiusque rationem promptiſſimus, Horticolæ illi faciunt, inquit, quod nos de Hetærio locuti ſumus.

mus. Sementem tempori, in primo anni,& campi flore aſpergunt;vt ſeges radicet, priuſquam zizaniæ. Otioſa etenim natura nuſquam eſt:ne nihil ferat,vrticas pariet. Videtis & in vitium luxurię putanda nonnulla, ſtringenda alia. Sine lege vites non adoleſcunt,ſed vitia. Ita luxurians iuuenum ætas:pro lauro,laus illam & præmium ſæpè fulciet,atque vbertatem dabit. Sed & legibus ſeu vinculis libertas aſtringenda, & pœnis ſalubriter pullulaſcens ſcelus amputandum, hæc enim *damna iuuant*. Blandimentis tamen an ſeueritate regatur cuiuſque ingenium, explorari conuenit; vt caueatur vtrobique, ne quid nimis. Per Hetærium hanc in rem conſultum huic ætati egregiè. Munerum omnem ſpem & corruptelam de ſua familia ſuſtulit: vt communi fauore tegantur & lacernoſi,& prætextati: & ne timeri,aut amari ſupra naturæ, ac indolis debitum quiſquam poſſit. Adde oculos,quibus vtitur,plurimos in hanc curam ſedulò excubantes; nam & ipſe Ludimoderator ſuum Moderatorem patitur, & hic ſuum: ſicubi exorbitetur,multi ad lineam conclamāt. Laudabile imperium,vbi nemo pro priuatâ libidine dictitat,nemo regit,niſi qui regitur. Diogenes captiuitate in Cretam abſtractus hoc titulo venalem ſe fecit, eſſe qui liberis imperare ſciret: quo & à Xeniade redemptus,eiuſdem ſeſe liberis erudiendis tam nauum & vtilem prębuit;vt Xeniadem impenſarum pœnituerit nunquam. Imperare ſcitè liberis, res eſt pretio vix æſtimanda, vt quâ omnis regitur ſimul reſpublica. Enimuero quâ adoleſcunt

indole, qui ad orbis gubernacula inter litteras educantur, hâc communitatem ferè imbuunt. Plebs ad grandium: rudis ad doctorum exempla componitur. Moribus suis, & alienis exemplis quisque regitur.

Horti interea caput attigisse videbamur, cùm noua sese rerum obijcere facies visa. Arbor erat, ex illo, quo hortus cingebatur, Manglarum genere, quæ ramis latè euagantibus, ac deniq; in terram pro more defixis, rursumq; in pares arcus flexis, porticus effecerat septenas vtrimq; ad auræ, lociq; libertatem patentes; nisi quòd obiectis modò velis curiositatem omnem excluderent. Collis iuxtà planitie mediâ velut in Orchestram assurgebat. Ad collem fons, quem cum Helicone serpentes pellere, cum Clitoris aquis potos ex eo pisces vocales reddere memorabant. Hîc geminis Dearum ornatus statuis: quæ, & manus in fidem, & oscula in amicitiã mutuò offerebãt. Dexterũ latus obtinebat virgo specie nobilissimâ, aureo per humeros capillitio sparsa: cæruleâ in togâ, stellis intermicantibus illustratâ: corona quadruplici, & velo imperatorio insignis: cęlum in manu, pedibus tellus substrata: Areten dicebant. Ad læuam virgo vix sanè ignobilior: formę pulchritudinem iniecta exasperabat galea, ornamentum virile: vestis luxuriem zona adhibita cõstrinxerat: hasta in manu: digitis cum annulo insertus Achates; qui prӕterquam quod naturæ genio prata, flores ac flumina, ceu quædam insculptæ eloquentiæ ornamenta, ostenderet; Musas etiam cum Apolline omnes, tanquam in hoc viridario

rio receptas(vti ille Pyrrhi)continebat. Triplex iuxta illam Vbiorum corona, caſſide ſi luberet, permutanda: Palladem vocabant. Vexillo quod iunctis Dearum manibus inſinuauerat artifex,hæc erat inſcriptio,

Tranſit ἔρις *in* ἔρως.

Carmen aureis characteribus inſertum.

Infelix odium Diuas exercuit olim:
Quas vinclo felix nunc ſociauit amor.
Has tamen offenſo qui conciliaret amori,
Et malè diuulſas necteret arte manus,
Arbiter vnus erat,cui fecit Hetæria nomen,
Quemq́; Arete voluit,quemq́; Minerua virum.
Plaudite fœderibus Paci quicunque fauetis,
Connubio huic plaudat,quiſquis amoris amans.
Nulla magis felix concordia contigit Orbi,
Coniugio hoc nullum dulcius Orbis habet.
Perge tuas lucere faces Paranymphe Dearum:
Et meritum tanti dignus amoris habe.

Interea cortinæ motæ, & Apollo Muſis ſtipantibus ſub ampliſſima porticu conſidet,ac per Mercurium ſubmiſſum nobis denuntiat,ludum apparari theatricum,vt ſpectatum ex orcheſtra aſſiderent hoſpites, quibus eam feciſſet ſcenæ adornatæ gratiam. Nos tantam igitur humanitatem exoſculati,Eteſio monente,capeſſiuimus conſeſſum. Spectaculum erat (ne per ſingulas eiuſdem partes faſtidioſè abeam) & nouitate,& admiratione digniſſimum. Proſcenium pa-

tens,&, quamuis in ſicco, mare æſtuoſum exhibens; quod papyrus tenuiſſima latè explicata, & cœruleo colore aquas mentita referebat: quæ vt veri maior eſſet ſimilitudo, follibus ſubter certâ arte diſpoſitis, ceu ad ventorum inquietudinem exagitata, nunc tumebat, nūc ſubſidebat in fluctus, & vndas. Medio in mari inſula, quam natura loci artis ſubſidio ſatis ad veritatem inſtruxerat. Inſulæ Meduſa Dorcadum regina cum geminis ſororibus Euryale, & Sthenyone præeſſe videbatur. Hanc opibus & potentia in Oceano Æthiopico metuendam ſubegiſſe fama eſt Perſeum, litterarum potiſſimum, quibus excellebat, ſubſidio, pugnandíque, quam ars & ingenium regebat, dexteritate. Reginæ cœca ac temeraria atrocitas fabulam meruerat, quâ illa vnico ſolum oculo cum ſororibus communi diceretur vti, & pro capillis ex capite anguium ſyluam ferre, ad mulieris iram, in morſum, rabiemque aſſurgentem. Nemo illam videbat, quin ſubita metamorphoſi in ſaxum obrigeſceret. Illa igitur hâc tam portentoſâ ſpecie in Inſula nobis erat propoſita, iuxtaque non pauci obbruteſcentes, atque in ſtatuas verſi homines. Adhuc terrori erat ſpectantibus. Oculus eminebat in fronte vnicus ac propendulus, vitioſa etiam rubedine incenſus: Serpentes in ſibila rabiemque erecti, Furiam magis quàm hominem referebant.

Exſpectatione omnium animi pendebant, quid hoc monſtro futurum: cum ſeſe is qui Perſeus eſſe videbatur, hinc Pallade, inde Mercurio ſtipantibus medius, ad maris litus pro-

promouere viſus. Erat adoleſcentis generoſa indoles, & Ioue digna: iuraſſem alterum Apollinem, niſi Eteſius, quem ad omnia conſului, obſtitiſſet. Imberbe mentum, flaua cæſaries, frons, atque oculi ardentes: ſagum velut pro bello aſſumpſerat. Iam deſignabat vultu inſulam, atque hoſtem, in quem ſeſe accingeret, minasq; ac indignationem iam animo præconceptam ad vindictam excitabat. Stimulabant pronam audaciam ſpe atque laude victoriæ Diui gemini, hinc eloquio, inde conſilio: vt ſi ipſi Eloquentiæ ac Prudentiæ vox atq; animus eſſet, digniora ad victoriam loqui neutra potuiſſet. Denique Pallas quem ex ære fulgenti gerebat clypeum, appendit iuuenis brachio, ac ſpeculi hunc loco eſſe iuſſit, quo obiectæ ſibi Meduſæ exciperet imaginem: ne tam lamentabili, quàm ceteri, metamorphoſi periret. Enſem deinde Mercurius falcatum dexteræ impoſuit; quo auerſo in hoſtem vultu, directum ex clypeo ictum ceruici infligeret.

Iam ad iter toto pendebat corpore, & neque nauis, neque remus apparebat medio mari viam deſtinanti; cum detracta ſibi Mercurius talaria noui militis pedibus annectit: quod vbi factum, tum ille librare per aërem veſtigia, nec aliter quauis ſegnius progredi. Ita, ventis vſus vectoribus, curſum abſoluerat, iamque in hoſtem armatus ibat; quæ, ſuâ ſe ſatis formâ atque arte tutari rata, negligenter admiſit pugilem: qui vbi aſtitiſſet propius librato in ictum ferro Meduſam ira æſtuantem, ſuæque indignantem ſic deluſæ arti, ag-

greditur. Sororum illa nequicquam, ſua in cęcitate palpantiũ, implorabat opem. Terroris interea quantũ potuit hoſti etiam in ſpeculo obiecit: quem ſuæ propemodum audaciæ pęnituit, incertum, tantamne laceſſeret ſerpẽtium rabiem? oculumne in frõte, an ſecuriùs pectoris ſinum ferro diſtringeret? Deniq; hæc vno impetu dubitantem priſtinus vigor, & victorię nobilitas reſtituit animo: incumbensq́; toto in ictum robore, mille anguibus, atq; vni ſimul Meduſæ caput abſtulit, quod liuido cruore, victoris arma, & arenam latè reſperſit, alienę gloriæ, ſuæq́; infamiæ maculis. Caput deinde ægidi Palladiæ affixum æternum victoriæ monumentũ fuit. Secuta hinc ſororũ in ſua cęcitate deſtitutarum lamẽta; inde Deorum omnium, Muſarumq́; tanto triumphatori fauentiũ applauſus. Mercurius inter hęc velut legationi expediendæ præteriens, paucis nos affatus: Non fabulam, inquit, ſed veritatẽ dedimus: non Perſeum; ſed Hetærium cõſpexiſtis pugnantẽ: non Meduſam cum ſororibus; ſed Ignorantiã cum Hęreſi atque infidelitate Germanis debellatam vidiſtis. Trias enim hęc cęcitatis extremę eſt; & ſi quid liuido, atq; obſcuro oculo contuetur, id totũ ad perniciẽ aliorum deſignat. Dominatur inter has Ignorantia quauis Medusâ tetrior, cui tam fœdæ ſorori ac Dominæ parent ceteræ. Diui, quot hæc mortalium in Europâ præſertim noſtrâ bruteſcere atq; ſaxeſcere hac noſtra deploratiſſima ætate fecit! Vix iam cõſilio, vel ſapientiæ, vix religioni locus: hęc, atque illa arcibus ſuis deiectæ, orbis erãt futuræ ludibrium.

Per-

Perſeum hęc clades & Meduſa iſta furialis, nõ fictum depoſcebat: qui ægide Sapientiæ, in qua monſtri illius turpitudo eluceſceret, armatus, Ignorantiam profligaret, ſuamq; hãc Hęreſi atq; Infidelitati laruam ac munimentum detraheret: vt quã in ſuis errorib. afflictim cœcutiãt, omnibus pateſcat.

Hæc dicta excepit Harmonicus Muſarum ludus, & diſcors vocum concordia Palladi iuxtà, atque Hetærio gratulantium. Apollo verò ſub tam felicem victoriæ ſucceſſum ad Deos verſus Pacis deſideratæ votum cõcepit, quam, ſopitis belli reliquijs, Hetęrio ſequeſtro, ſperabat obtinendã:

Arbitra Muſarum Pallas, belliq́; fidelis
Et Pacis conſulta parens; quiq́; arma cietis,
Claßica concinitis, gladióſque in cæde rubentes
Verſatis, fideiq́; odijs ardetis iniquis
Patroni errorum: tandem componite mentes
Pacis ad obſequium, propriâque in clade piandos
Demite feruores animis. Da mitior haſtam
Et galeam Pallas, clypeóque abſiſte feroci;
Sat Marti Mortiq́; datum eſt: ſint cetera pacis
Pulchraq́; præ trucibus potior ſit oliua ſarißis.
En requiem qui ſuadet adeſt, qui prodiga vitæ
Pectora, diſcordeſq́; animos in fœdera morum
Erudiat; ſcribátq́; ſacræ ſecreta ſalutis.
Nil hoſtis metuens, nec iniquæ conſcius iræ,
Sed docilis tractare animos, & Apollinis acer
Auxilio, cui nunc facilis Victoria belli

Poſt-

Posthuma concessit; leniq́ue regenda sequestro
Pax stabit, iusq́ue omne togæ transcribet honestæ.
Hunc Europa virum supplex, hunc Itala poscit,
Et tellus Germana vocat, cupit Indus, Iberus
Ambit, & Antipodes. Mirum quam dulce loquendi
Pondus adhærentes animos moderatur, & aures,
Quo se cunque ferat. quoties Europa probauit
Orantem? quoties victrix facundia linguæ
Imperium vitijs dixit, cupidosq́ue doceri
Errorum eduxit latebris, lucemq́ue Mineruæ
Suasit, & ad sacros Sophiæ prouexit honores?
Orator simul ipse sui est, persuadet amorem
Virtutum, factisq́ue probat sermone probata;
Dux, auctorq́ue sibi. Musas non laudat inermes:
Armari pietate cupit. Quæcunque timentur,
Negligit, ipse sui certus. Constantia nullis
Frangitur illecebris, nullis terroribus hæret.
Vt stetit expugnans hostem virtutis, & artis
Securus! quanto micuit bellator in ore!
Quantus amicitiæ, quantusq́ue est pacis amator!
Hæresis arma caue, satis Ignorantia plexa est:
Consilijs accede pijs: erroribus vltro
Tu ne crede tuis. Non arte tuebere causam;
Sed nec Marte satis. Detraxit Hetærius omnem
Nunc laruam sceleri, & fraudum consulta tuarum
Prodidit, insidiasq́ue tibi modò liquit inermes.

En pa-

En pacis decreta piæ, magnumq́ue salutis
Momentum suadet. mereat trabeata videri
Pallas, & optatas humeris vectare curules.
Vos tamen, ô Diui, quantum victricibus armis
Debetis, quantum paci virtute paratæ,
Huic donate viro.

Dixerat. Quando Pallas cum omni Deorũ tempori prę-sidentium collegio velut ad concilium prodijt atque consedit. Primum à dexteris Saturno locũ fecit, deinde Soli ac Lunæ, quibus Eos, Noctes, ac Horæ famulabantur. Chloris postremò, Ceres, Bacchus, atque Æolus sequebantur. Momus tunc etiam forte aderat inter Deorum asseclas, quem, vti antiquum cum omnibus litterarum fautoribus Dijs exercet odium; ita nunc etiam inuidiâ grauidissimus parturiebat tonitrua in Palladem atque Hetærium, quæ cùm iam stridulo murmure inter nubes cerebri, & dentium claustra ad fulmina secutura prælusissent, deinde calumnias ac conuitia in Hetærium velut de plaustro, non recitabat, sed ingenti vi ac numero deturbabat. Sed neglecta Cauillatoris improbitate, Pallas ad Deorum concilium versa, quantum hucusque, inquit, Diui optimi, dolorem ex neglectâ religione, squalentibus aris, & templis; quantum ex corruptâ morum disciplina, ac rudi ad omnem honestatem iuuentute, fastidium; quantum denique ex solutis Rerumpub. legibus, auctis seditionibus, natis cum perfidia in Deum bellorum tempestatibus mœrorem animo concepistis: tantum vos

F modò

modò post profligatam Ignorantiam, horum omnium malorum sementem recreari, & lætitiæ concipere fas est. Peruicit Hetærius, ne tanta pestis in orbis perniciem latius inualesceret: portenti huius improbissimi conatus armis nostris, sua virtute repressit. An vos latent funestissima belluæ illius consilia, quibus orbem totum suis, ac sororum destinauerat imperijs? hoc egerat, vt omnes secum euersâ rationis scientiæque luce cœcutirent; ne esset, qui aut suam perniciem, aut illius improbitatem discerneret. Nostis quo olim consilio Mitylenæi alijs Græcorum abs se deuictorum legibus, illā per fas nefasq; adiecerint: Litteras deinceps ne docento. par Xerxis consilium: qui vt eidem genti quoties victæ, toties rebelli, arma penitus, animosq; ad libertatem excuteret; artes ademit liberales, & pro calamo tibijs, pro schola cauponis iussit insuescere. Ita Cyrus Lydijs, Edouardus Scotis, Melanchton (si & locus inter aquilas coruo) Germanis felicitatem eripere conatus est. Et quidem tam præsenti exitio ipse seculi genius litteris iniquior adeò fauebat; vt huic fraudi vltro patere, ac suam ambire cladem efflictim videretur; nisi auertendæ calamitati opportunè intercessisset Hetærius, & periculum iam præceps auertisset, scientiarum occumbentium defensione contra Ignorantiam susceptâ. Modò certè summâ felicitate aduersus inualescentem illius tyrannidem debellatum est: occubuit hostis, & viuunt litteræ: optimum Hæresi atque Infidelitati, natum ab Ignorantia, præsidium ereptum est. Date hoc igitur

fauo-

fauori nostro, Temporum Diui, date Hetærij meritis, ac virtutibus, & dignum decernite triumphatæ Ignorantiæ præmium: ne vel inuidiæ apud vos maleuolorum locus detur, vel benefactis proborum denegetur.

Applausit ita oranti Deorum concilium, & Saturnus Lunæ imperauit, vti in Momum tam improbum filium immodestæ dicacitatis pœnam decerneret. Quæ Noctibus illum pedissequis coërcendum carcere perpetuo tradidit. Deinde honorandi Hetærij deliberatio est inita. Ne verò præmiorum quisquam in eis videretur parcus, de suo singuli ad hanc honoris symbolam liberaliter obtulêre. Saturnus Hetærio coram adesse iusso seculum detulit; quod vt aureum, inquit, sit, tuis meruisti atque etiam effecisti moribus. Sol deinde annos, zonamque cœlestem duodenis anni insignibus nobilem, ceu baltheum, victori destinat: Ariete etiam donato aurei velleris militem pronunciauit. Leonem denique currui, si vellet, triumphali adhibendum. Subiecit Luna, se Vrsam mitiora edoctam ad Hetærij imperium ac triumphi obsequium submissuram. Addidit Ariadnes coronam, mensiumque duodenam obtulit, Horis etiam in seruitium designatis. Haud procul Charites ad obsequium stabant, quæ, ordine honoris ad Chloridem deuoluto: rosis, lilijs, alijsque florum delicijs, gratissimâ pluuiâ, Deorum coronam, atque in primis Hetærium aspersêre. Laxatis deinde partis auersæ cortinis, suauissimè allabens Zephyrus omnes iam calore ac sudore aspersos demulsit. Ceres

deinde cùm Amalthææ cornu, ſibi ab Iouis altricibus conceſſum dono obtuliſſet; lactis diuini hauſtum Hetærio propinauit, terque Sirij radijs (quos gemmâ incluſos ad arbitrium laxabat) aduſtum, immortalem cum Triptolemo eſſe iuſſit; eandemque, quà quà incederet, ſubnaſcentium frugum gratiam indulſit. Bacchus, ô ſicca, inquit, atque arida munera! humectatione hîc opus eſt: ſolutóque iuxta fonte huic ſcenæ præparato Maſſici copiam per Siphunculos mediæ Deorum coronæ affudit. Subiecêre mox Satellites lebetem aureum, ne quid pretioſi liquoris deperiret. Cratere dein auro, gemmiſque præfulgido libarunt felicitati Hetærij. Apollo vbi iteratò cratera euacuiſſet, furore correptus fatidico, cortinam inſedit, talia de Hetærio vaticinans:

Iam noua mellifluis current tibi ſæcula riuis.
Virtutum Te magna ſeges, prolixa laborum
Exſpectat ſeries. Manabit ſudor in ora:
Hic ſuccus Pietatis erit. Themis aqua, Fidesq;
Et Virtus dabit hic meſſem: manet altera cœlo.

Ad Æolum munificentiæ ordo deuenerat. is tam profusâ Deorum liberalitate offenſus, ſecumque non leui humerorum, atque oris conuulſione rixatus de munere, vix tandem exporrectiori fronte hæc profudit. Nimijs donorum illecebris Herois virtutem Deos demulſiſſe: hac viâ fortitudini magnorum animorum parum conſuli: blanditijs illam frangi, gaudere; atque eminere duris occaſionibus. Proinde

inde se virtuti illius firmandæ borealia frigora, famelicam luporum aciem, impastos leones, quibuscum decertaret, obiecturum. Subrisêre Diui omnes ad tam illiberale donũ. Non iam, inquit Pallas, monstra Herculi quærimus, sed deuictorum monstrorum præmium. Nunquid pro superata fortiter hydrâ, hydram nouã, ceu munus, victori obijcies? Indignatus Ventorum Pater filio Boreæ, lateri ad obsequium astanti, nutu tempestatis ciendæ signum fecit: qui cum Germanis Euro, Africo, ac Noto tantis subitò furijs debacchari, tanto cœlum terramque quassare impetu cœpit; vt laxatis cataractis non pluuiæ, sed vndæ nubibus fluerent, arborum, domuumque nutarent capita, Diuorum suæ quisque securitati consuleret. Nos cum Etesio, Earoque ad proximã delapsi porticum, quantumuis madentes, tam ridiculam catastrophen pleno splene risimus. Audiebatur inter hæc Æolus tubâ lætum concinens, suaque sibi victoria applaudens.

Mihi verò ludi illius theatralis, ac præsertim donariorum Hetærio impensorum hærebat cogitatio: neque satis quorundam, aut pretium, aut rationem & vsum animo peruidebam; recurrebat identidem tanta aliorum liberalitas, tanta Æoli insolentia. Cùm abstinere hisce me curis Etesius iussit; temporis rerumque spectandarum decursu illustranda omnia: sed nec mirum adeò videri debere Brumam atq; Æolum furere; illud potius admirandum, Hetærium ita lætis perfrui vix posse, vt non aliqua sese inferat aduersitatis

clementia; quam tamen eodem vultu, quo mundi fauores excipiat.

Hoc responso in spem ac desiderium futurorum erectus, cœpi cum alijs ad emblemata sparsim tota porticu adumbrata, mentem aduertere. In ceteris tabella vna Bombycem serico suo antro, velut quodam Diogenis dolio, inclusum præferebat cum hoc epigraphico,

Hunc cernit nemo laborem.

Quæ cùm ad Hetærium pronâ coniectatione referrem, Laboris istius memoria subuenit animo, quem ipse inter Scholarum parietes, tanquam antrum aliquod abs vulgi oculis remotum, indefesso studio exercet; pretiosum quidem illum & cum ingenti multorum emolumento coniunctum, sed quem vulgò pauci admodum, aut videant, aut æstiment.

In alio iuxtà emblemate Arbor erat vitio magis alimenti deficientis quàm senio elanguescens; nonnullę frondium succum omnem exspirauerant, aliæ tamen cum adolescente iam vere reflorescebant. Hederaceis illa sertis circum adhærescentibus stabat implicata, quibus vitam vigoremque infelix nutricula impendebat. Itaque loqui videbatur,

Consumor alendo.

Tertium deinde haud procul appensum eiusdem ferè sententiæ symbolum apparebat. Flos erat qui explicatis in orbem foliculis, apem mellis causa allapsam sustentabat. Illa flori vox data erat,

Nutrio

Nutrio pungentem.

Hæc ad Hetærium Iuuentutis nutricium optimum pertinere ambigebat nemo; Etesius tamen, vbi nos studiosè in vmbratili schemate defixos obseruasset, nostrisque etiam pro veritate assequendâ coniecturis aurem facilè commodasset, Rarissima, inquit, inter homines beneficentia est, & liberalitas penè prodiga, *suo detrimento prodesse alijs: benefacere, ac nesciri, imò negligi.*

Paradoxa hæc sunt; sed in Hetærio reperta. Vidit certè, si minus agnouit Europa nostra (vt reliquum orbem taceam) totidem propemodum viros, quot Hetærij familia alicuius experientię, aut nominis vnquam habuit, enixè in iuuentute erudienda laborantes. Quam hi suo detrimento profuerint alijs, plurimorum valetudo in hos labores impensa, vita adeò insumpta testatur. Illud sanè passim exemplis cogimur credere, vix alterum quemque sine aliquo sanitatis vulnere ex hâc luctâ & arenâ literariâ ad alia officiorum genera manumitti; tum decimum ferè quemque (vt alios morborum casus separem) solis hisce scholasticis difficultatibus vires suas exhaurire, ac denique vitam in morte deponere. Et verò qui horum studiorum labores in literarum Doctore æstimauerit: quantum docentem scire conueniat, quantum industriæ ad rudem incultamque pueritiam adferre, vt rebus tam arduis capacem faciat; quæ murmura, inquietudo, pulueres, ac fastidium integros propemodum dies dissimulanter ferenda sint: facilè cogitando asse-

assequetur ludum hunc literarium nihil minus quàm ludum videri.

Quantum porrò illud sit, quod viri ætate graues, sapientiâ spectabiles, contemptis, qui ab alijs officijs suppeterent, honoribus, spreto, quod ex parium consuetudine nascitur solatio, inter istam puerorum inquietudinem vitam exigant, ij parentes censeant qui sæpè ab vno alteroue filiolo ad honestatem atque virtutem educando tantùm molestiarum hauriũt, vt velut difficultatum impares, quod ipsi ferre nequeunt Magistro onus destinent, qui solus plurium parentum molestijs humeros supponat. Et quidem, si huius operis arduitas naturæ in genitoribus præualet, quæ illos cum liberis arctissima familiaritate sociauit; si impar laboribus tantus est amor: quanta virtute opus est, vt in tam varia puerorum, sæpè & nationum, indole, difficultas omnis ab instructore absorbeatur.

Nolo iam temporis, quo iugum hoc sæpè ferendum est, meminisse. Vix aliquantò frequentiorem Hetærij familiam reperies, in qua non aliquos maximam vitæ partem his adolescentiæ erudiendæ curis deuotos inuenias, viros, quos alioquin ad Reip. gubernacula (si sapientiæ in illis dignitatem spectes) iure admoueas; quos rebus propalam atque in orbis luce gerendis opportunos, ad Tullianum, aut Platonicum carcerem (quo sua magis virtute quàm merito continentur) nunquam condemnes. Exemplis abstinebo vbi quotidiana experientia pro me loquitur. Adhuc viuunt

uunt ſenio atque demiſſione ſua venerandi, qui in vltimo Grammatices puluere, in turbulento iſto puſionum grege diuturnâ functione verſati hâc prouinciâ non niſi cum vita defuncturi videntur.

Quid ſi nunc improbam nonnullorum munerationem expendamus, quâ acceptorum ab Hetærio beneficiorum memoriam obruunt; an non admirationis plenum opus tractabimus? Spes alit Agricolas. Mercatori lucrum: Militi ſtipendia, prædas, libertatem adime, cladem etiam ac vulnera pro præmijs adnumera; & neminem reperies tam impendio ſui negligentem, aut laboris cupidum; vt vela atque arma non abiiciat. Hetærius tamen cùm lucri ab hominibus ſperet nihil, tum etiam nonnullos ſuæ exiſtimationis hoſtes ijs modo ſe inſtruere ſcientiis animaduertat, quibus poſtea innocentis ac benefici Magiſtri famam armati oppugnent: perſtat nihilominus, & *pungentem* cum flore apiculam *nutrit:* neque vllis ſe iniuriis ab inſtituto dimoueri patitur, donec, quod arbor inter hederas, *alendo conſumatur.* Perditum non exiſtimat, quod licet ingratis beneficium impenditur. Hæc omnia qui ſuis momentis expenderit, literarium hoc Hetærianorum otium, inter grauiſſima negotia non immerito numerabit.

APRILIS.

CATECHESIN, ET FIDEM IVVENtuti explicatam continet.

TEmpestate iam discussâ, campísq; ad suam amoenitatem redeuntibus, ad alia digrediendum Etesius monuit: Hortum esse Fidei Christianæ monumentis illustrem, quo deinde nos adduceret. Erat is virgultorum, in mutuo complexu adolescentium, sepimento ità arctè cinctus, vt nusquam dehiscentibus ramusculis, oculos intuentium per rimas admitteret. Latera, ipsumq; sepis caput ad æqualitatem tonsa erant, nullo vspiam exorbitante cespite. Quin & eâdem arte ductilem viridémq; portæ arcum, æstiualésque per hortum ędiculas, naturâ atque industriâ humanâ conspirante, eduxerant. Portæ valuis affixum Tauri syluestris caput erat, Aprili consecratum.

Prior horti facies labyrintho non absimilis, semitis in ambages explicatis confundebat iter; quas omnes Etesius in horti centrum ad sacrum Fidei collem confluere asserebat. Arbores in orbem dispositæ florum amoenitate ac succo allapsas hinc inde apiculas (quamuis plenis nondum agminibus) recreabant. Vna in ceteris arbor velut aliarum Regina, mediam stationem obtinebat. Diui qualis arbor! Ex vltima gentium barbarie, & incultis Peruanis honorando Hetærio erat huc translata (Granadillam dixerunt) Malo-

logranatis noſtris haud prorſus abſimilis. Illa, vti explicata iam ſtabat grandiuſculis floribus, ſpectaculum præbuit orbi Christiano digniſſimum. Erant hi flores roſæ albæ ſimillimi; & paſſionis dominicæ inſignia, ſupra omne artificis humani ingenium, expreſſerant: ſiquidem in his quinque purpureo colore diſtincta erant vulnera. Ex florum centro emergens columella, coronam ſpinis implicatam, medióſque tres clauos, ferebat. Foliis lanceæ agnata hærebat effigies. verbo, bruta terra iſtic fidei noſtræ ſalutiſq; expreſſit ſymbola, cùm rationales deeſſent homines. Erubuiſſet adhæc Europæa hæreſis, ſi non omnem in propudiandis imaginibus, paſſioniſque inſignibus verecundiam exturbaſſet impudens veſania. Erubuiſſet Christianorum & parentum imprimis ſocordia, ita negligenter eſfloreſcenti iam puerorum ætati ſalutis noſtræ lineamenta pręceptaq; imprimentium, quæ muta ac bruta natura floribus ſuis inſculpſit. Hęc mentem cogitatio tam admirando flori affixerat, cùm neſcio quis impetus Litholeontem in hos verſus abripuit: Euſeb. N:er. h ſt. nat. lib. 14. c. 10.

Stella ſoli, veriſq; decus, florumq; corona,
Terris nata, polo digna: ſalutis honos.
O noua plantarum miracula! nobile germen,
Quod gerit occiſi ſacra trophæa Dei!
Clauorum video triadem, ſertumq; cruentum,
Et granis totidem vulnera quina rubent.
Quin etiam immitis fulcitur flore columna:
Haſtatiſq; micat lancea dira comis.

Fallor? an ille meus perijt Narcissus in vndis
Flosq́; hic funereis posthumus extat aquis?
Non fallor, tulit ipse minax hoc vertice sertum;
Et totidem ferrum vulnera triste dedit.
Immites animi, nisi vos miseratio flectit,
Mollit amor: cùm flos flere & amare docet.

Delectabamur hac poësi, atque etiam Litholeontis tam piæ affectioni plaudebamus. Interea illius vt videbatur carmine prouocata, adest auicula ex Acanthidum genere (Ligurinum vocant) colore luteo maculisq́ue distincto; quæ vbi spineo Granadillæ serto (vti spinetis delectantur) acquieuerat: in gratissimam solui melodiam, & tonorum accentuumq́ue permutatione, simile quid symbolo Fidei ad musices artem exacto, cœpit auspicari, quod cùm ad æmulationem atq; inuidiam Musicorum felici augurio pertexuisset, tum denique, ceu victrix Litholeontis, vnde venerat, recessit. Mirabar auis in ista libertate mansuetæ indolem, tantiq́ue arcani capacem. Cùm Etesius memorat, in horti medio magnam auium huic similium copiam asseruari, quæ istic primò liberaliter ab ipsis nidi vitæq́ue principijs alitæ, atque in captiuitate eruditæ, demum manumissæ; ingenio tamen loci delectentur, & natam cum vnguibus disciplinam non prorsus abijciant. En, inquit, iucundum dicam, an erubescendum mortalibus exemplum? Arbores brutæq́ue animantes Fidei nostræ Religionisq́ue insignia ac præcepta combibunt, Deum auctorem suum non ineruditè fatentur.

tentur. Et, quod hominum iſta nauſeantium dedecus! illorum, inquam, hominum, quos & rationalis natura, & diuinæ pulchritudinis impreſſa lineamenta rebus brutis ac perituris fecerunt meliores. Nunquid enim creator Deus:

Os homini ſublime dedit, cœlumq́ tueri
Iußit?

Et tamen ita naſcimur, ita curamur, vt ſi mundo ſoli Felix exiſtimatur ille cui opes, cui valetudo eſt: mores naſci oportet: vtcunque hi proueniant, in diuitibus ſemper laudantur. Hæc prima parentum cura, ne teneritudo infantilium membrorum vitium contrahat; vnde & diſtorta membra inclementius corrigunt, torquent, formant. Mores diſtortos, religionis diſciplinâ formare, torquere pœnis, corrigere præceptionibus, res tam eſt rara, quàm neceſſaria: vt inuenias, Diogene tibi atque lucernâ ad ſolem ſit opus. Legem natura parentibus ſcripſit, quam nec Cato cenſeat; Quod genueris, cœlo debes. Prima hæc puerorum eſto lectio; *Diſce puer Virtutem. Cole Deum.* Sed ſeueritas iſta ad antiquam modò Spartam amandatur, vbi pueri ad Deorum aras etiam verbera ſereno ferebant vultu, vt oſtenderent ſe pro Dijs fortia quoque tolerare poſſe. Pauci hodie Teli ſunt, quos Solon, ob feliciſſimæ & ad Virtutem inſtructæ indolis liberos, Cræſo præferat. Ipſe adeò brutæ animantes ſuo nos exemplo condemnant: Feræ catulos ad venationem, ad curſum erudiunt. Aues pullis ad cantum præcinunt, ad volatum præeunt, ad cibum eoſdem alliciunt.

Nulli ad præſcriptum viuendi finem, aut natura, aut Pręceptor deeſt; ſi ipſum animantium regem hominem exceperis.

Dum iſta ſeuerius diſputat, in arboretum incidimus plantis nouitijs conſitum, quas hortenſes Genij ne rectitudine exorbitarent, fulcro adſtrictas corrigebant, putabant, transferebant. Inter plantulas gallina oberrabat dux nuper ab ouo educatæ ſobolis. hæc præire ſuum gregem, ſi quid inuentum pabuli, ceu præco, glocitando publicare, ac diuidere omnibus: vbi tamen aduentantium ſenſerat ſtrepitum, receptui palabundæ plebeculæ canere, paſſasque alas ſuis, atque (ſi quod eſſet) infortunio, medias obijcere. ſed notos cùm aduertiſſet, periculi ſecura, rurſum velut manumittere. Laudaui curam, & in bruto nō bruta omnia. Cùm Mnemon ex annaliũ monumentis recenſuit mirum quiddam. Hæc, inquit, ales Ignatiana dicitur ab heroë quodam Loiolæo, qui dum Manreſæ ageret, iamque etiam pueros non præceptis modò religionis; ſed & ſanctitatis ſuæ opinione imbuiſſet; euenit gallinam puerili curæ abs matre commiſſam, abſente hac, aquis præfocari, denique adhibitis fouendę gallinæ flammis, etiam pedes amittere. Lamentatio hic puerorum miſera, atque imploratio opis ad Sancti viri pedes ſupplicum; vt ille & miſeratione, & fiduciâ plenus Deum compellârit pro auxilio; ſimulque volucri vitam, pueris gaudium reſtituerit. Hæc deinde gallina ſolitariam vitam inſtituit, communem ſociarum gregem aſpernata.

Euſeb. Nier. de miracul. nat. l.1.c.5.

nata. Nos ſobolem inde aſſeruatam hucdum nouâ ſucceſſionis ſerie nutriuimus, ne tam præclaræ originis ſtirps intereat. Videtur ipſius aliquid referre ingenij, à quo vitam recepit; ita educationis paruulorum gratiam nacta eſt: ſiquidem hìc, meticuloſum alioquin animal, timiditatem, ſi periculum inſtet, exuit; & pro pullis audet, quod ſuo capiti defendendo aggrediatur nunquam. omnem milui impetum vitæ ſuæ diſcrimine auertit. Excepit Eteſius: Hetærij vobis ſtudia etiam in hac animãte obſeruare licebit; ita quicquid hiſce in hortis ſub noſtrâ curâ eſt, Hetærij naturam combibit. In illa orbis negligentia ac lamentabili cataſtrophe, quâ feræ in ſobolis educatione humanitatem: homo feritatem quandam mutuatus eſt (cùm ijs officijs, quibus proles ad Deum diuinaque primùm naſcitur, eam perquam negligenter imbuat) Hetærius communem orbis parentem agere inſtituit, & gallinæ officium Soterij Regis ſui exemplo ſumere: voce, munuſculis, illecebris pueritiam omnibus ciere, inuitare, ad fidem inſtruere, arcere rapaces miluios, atque alis pietatis tueri. Et hæc Manreſæ auis tam rara, vitam hanc nouam auſpicari cœpit. Sed quid velis tegendæ virtuti vtimur? ſi Auguſtus pater patriæ, Hetærius pater orbis dici meruit; ita hunc religionis ſalutiſq; incurioſum ſaniori conſilio & diſciplinâ à perfidiâ & Diuorum Ignorantiâ vindicauit. Nihil erat minus in pueris, quam fidei virtutiſq; cõſcientia. Arcibus, mœnibus, vijs, ipſi adeò porcili & haræ homines præerant; hominibus natis vix homo. Hic

velut

velut ſpurium ſemen vitijs, naturæque in ſcelus pronæ re-licti, poſt pecora curabantur, aut ne tunc quidem. Arbuſculæ ne in vitium abirent accuratione nauâ curabatur; aut ferro putabant, aut ad regulam ſtringebant: interea filij ſtolidate in duriſſimos ſtolones degenerabant. Pietas inter Chriſtianos erat; ſi parentum quandoque latus concioni adſtantium ſtiparent, atque iſtic audirent multa, caperent nihil. domi porrò tam perſępè elegans parentum pręlectio; vt quæ olim athletis erant propria aurium munimenta, his nunc infantibus fuiſſet opus; quòd, vti illis animus ſtrepitu verberum, ita his perceptione verborum frangeretur. Quid nunc Americam, Sinas, Indias memorem? quis hic deſertæ religionis aſſertor fideique nutritius? orbem totum aut malitia cæcârat aut ignorantia.

Iam in ea rerum neceſſitate adhùc tenacia Granadillæ folia fidei noſtræ, velut in tabellâ, retinebant, ac videntibus inculcabant imaginem. Ipſæ etiam in defectu humano beſtiæ religionis præcepta homines edocebant. Poſtquam enim Indicis finibus per Hetærium fides illata, adoleſcenti apud Peruanos inter pecora ac ſolitudinem agenti, omniumque precum rudi, vna pecudum (Camelis non abſimilium) Symbolum, Dominicamque atque angelicam Orationem præire cœpit. Aduertit precanti aures atque animum iuuenis, memoriâque eadem complexus eſt. Rei inauditæ, & inexſpectata hominis eruditio, & ſanctior morum ciuilitas fidem fecit. Vnde appareat formari iuuentu-

Biſſel. in ica. pag. 26.

tem

tem ad pietatem poſſe, niſi artifex deſit. Qui ne his ſeculis deeſlet, Hetærio debemus.

Totus ad lucem fidei clariorem aſpirabat orbis. Illa non paucis in Europa nebulis, in India tenebris etiam denſiſſimis ſepulta; in media tamen quærebatur caligine. Rex Mogor ſextus à Tamberlano nepos, vt ab infantibus fidei veritatem diſceret, eorum triginta cuſtodiæ ab hominum ſtrepitu remotiſſimæ alendos incluſit: mulieribus, quæ alerent, imperatum ſilentium pluſquàm pythagoricum; obſeruatores additi, ne quid, aut incuriosè, aut impunè delinquerent. Expectabat Rex cuius denique linguâ vſuri hi eſſent, eius ſeſe gentis fidem vti veriorem amplexurum; ſed multa & temporis, & curarum facta impendia, fefellit tamen exſpectatio: nulli horum ſermo, nullus ab infantiâ, niſi ſolis annis, demigrârat. Fortè prima hi fidei Chriſtianæ præcepta, poſt annos viginti (ante quos noua illa probatio ab Rege inſtituta fuerat) ex Hetærio pueros iſtic ad religionem formante, didicerint; dignum tam inſoliti ſilentij præmium. Vt vt ſit, certè iuuentus iſtic frequentiſſima, & Rex ipſe nobiliori, quam exſpectauerat, oſtento orthodoxam religionem profeſſus eſt: Zelo egregio, vt & Deiparæ in tabella adumbratæ ſuum thronum ceſſerit, & gratiſſimum IESV nomen ſingulis paſſibus repetitum adiecerit. Ea porrò Mahometanæ pueritiæ facta eſt ad fidem acceſſio, isq; fuit Hetærij amor: vt hæc in omnibus compitis inſonaret acclamatio: Seruet te DEVS ô Pater, ſeruet te DEVS. Verè pa-

Ex literis Indicis P. Emanuelis anni 1598.

ter, qui cœlo eos genuisset. Et certè hunc, vt alij nuper Indi, raptis etiam lapidibus contra genitorum suorum iniurias vindicassent.

Iarr. l.1. hist. Ind. c.4.

An non ille de Hetærij familia Gonsaluus patris nomen ac honorem meruit, qui vilia etiam adolescentum mancipia emendicatâ coëmit peculiolâ, vt impijs Saracenorum manibus eriperet, & sanis fidei præceptionibus excoleret.

Ex literis anni 1622.

Apud Sinenses Riccius non parentis modò titulos, sed & Sancti meruit. Inueterauerat apud eos hæc opinio, singulis seculis binos ab Oriente natos viros istic sanctitate nobiles clarescere: priorem ætatis partem asserebant tenuisse, nescio quem, Confusium, hanc Riccium Patronum meruisse.

Iarr. tom 3. l.2.c. 26.

Porrò Mandarini suasu Riccius Catechesin non verbis modò, sed & scriptâ instructione promulgauit: tanto maiori curiosæ gentis ad fidem emolumento; quòd iam tres se habuisse Deos crederet, singulisque ijs morte sublatis, quartum præstolaretur: bullam interim ab vno Deorum relictam mundo imperare. Sed, ô bulla vanissima! An non cum Æsculapio mereatur statuam, qui tantæ medelam insaniæ fecit?

Sed iniuriam fecero isti altrici plurimorum aliti, & parenti Indorum Xauerio, nisi tanti viri in tradenda Catechesi industriam laudauero. quàm eam nauo, quàm vtili labore Indis tradidit? nec vox dicenti, nec vires baptizanti pro ingenti multitudine pares. Vnius loci, anni que vnius labor, exem-

exemplo, rem docebit. Commorinum promontorium attigerat triginta facilè oppidis vicisque nobile. Cum linguæ Malabaricæ (quę illis vernacula eſt) adhuc rudis, fidei Chriſtianæ præcepta, tradendæ catecheſi accomoda, diſpoſuit primum ipſe; verſa deinde à linguæ vtriuſque peritis, memoriæ ſuæ commiſſa, identidem pueris inculcabat: quoſque in ijs memoriâ iudicioque comperit magis firmos, his eadem parentibus, totique deinde viciniæ tradenda commiſit. Hæc profanis diebus intercalaris ac ferialis opera: feſtis ipſe ætatem omnem ad hũc religionis Martialem campum ſigno dato acciebat. Tum ille inuocandæ Sanctiſſimæ Triadis precandique exordium facere, Symbolum Decalogumque recitatum, inſtructione miſtâ, interpolare. Ita eos fidei præceptorumque æquitate captos, iam non ducebat, ſed rapiebat. Tutucurinum vrbem principem primò, deinde ad reliquas vrbes, vicosque delatus, ceu torrens paucorum menſium impetu Prouinciam totam inundauit, & ſalutaribus vndis (ſi nonnullos Brachmanas exceperis) Orthodoxæ fidei initiauit. Numerus indies baptizandorum abſque numero erat: pagum integrum expiaſſe vnius erat diei labor. Pulcherrimum illud & dignum cœlitibus ſpectaculum. Ingens Xauerium multitudo adoleſcentum, ceu patrem filij, ceu gallinam tutatricem pulli, circumfluebant: Huius ille cohortis dux atque anteſignanus, Deos omnes delubris ſuis atque toto Commorino exturbauit; deiecta ſimulachra, diruta, diſſipata. Nullus parentum, Brach-

manorum fuit nemo, qui hunc puerorum lacesseret exercitum, qui hostem quàm amicum mallet. Olim Gigantes Iouem non poterant, tunc Pygmæi debellarunt. Sed hæc læuia, si quæ in Trauancoride, & Mauricâ facta expendantur. Istic vno mense millia decem, hic viginti & quinque millia tribus mensibus, fide ac baptismo Ecclesiæ adscripsit. Æstimate temporis angustias, & amplissimum industriæ fructum. Istic & Regis filium, & sexcentos pagi vnius Patini peperit Martyres, purpurâque donauit, quâ nulla Regum soboles à patre nobiliorem accepit. hîc tanta patiendi ac proficiendi cupidissimo homini materies fuit; vt hanc diuinę spei Insulam vir diuinus dixerit. Exclamate nunc cum Indicis si lubet pueris, Magnus Pater Xauerius! repetite & illud ænigmaticum. Si parentes hac ætate desunt liberis, certè non desunt Patres.

Soterius se olim gallinæ: quid ni & Hetærius similem faciat? Et vt pauculos ex Hetærij familiaribus toto orbe ad paria incumbentes numerem. Tales in Asia Patres; Baltazar Gagus apud Iapones: Alphonsus Cyprianus in Meliapora: Barzæus in Ormuzia: Ledennio in Philippinis: Henriquez in Commorino: Hieronymus Xauier in regno Mogoris. Mascarenus in Sionis: Perez Malazæ: Ferdinandez in Bengala: in Molucis Ribera. Tales in Africa Patres; Ouiedo Patriarcha in Æthiopia: Barriera in Angola, Congo & Loanda, fidei assertor: Delgado ad caput viride; Silueria Monomotapæ. Tales in America inter Brasilos Anchieta

& No-

& Nobrega: in Peru de Anaſco & Ortizius: inter Mexicanos Tapia: & vt breuis ſim, tales in Europa inter Hetruſcos Broëtus & Strada: inter Germanos Faber & Caniſius; inter Francos Laynes: inter Hibernos & Polonos Salmeron: inter Anglos Campianus: Moſcouitas Poſſeuinus: Tranſyluanos Leleſius: Dalmatos Bobadilla. Hi omnes quæ reliquerint paternæ curæ atque affectionis veſtigia in tradendis Orthodoxę fidei præceptionibus, nobis tacentibus omnis ætas & orbis loquitur; hoc etiam argumento eſſe omnibus poterit; quod Hetæriani hiſce pietatis officijs gratuito abs ſe ſuſceptis, voto denique tanquam vinculo ſeſe adſtrinxerint; ne indiligentia aut faſtidio, temporis moleſtiarumque acceſſione valituro, ſenſim ſoluerentur. Ipſe huius pietatis ſuſceptæ Princeps atque inſtitutor Loiolæus, hoc ſibi officium non magis quam clauam Hercules eripi de manibus eſt paſſus: quantiuis momenti negotijs curiſque, quibus nemo vnus par futurus exiſtimari poſſet, vnicum illud formandæ ad fidem ac virtutem pueritiæ præpoſuit: hic clauus erat quo fluctuantem Petri nauem ſecuritati ac ſaluti aſſerendam potiſſimum credidit: in hoc ſe labore vti abſque honoris præmio, ſic ſine offendiculo inuidiæ verſari poſſe arbitrabatur. Abſtineo pluribus ne rem immenſam in vnius oratiunculæ anguſtias cogere velle videar. Hoc vnū moneo, vt aliquam laboris operæque expenſæ ab Hetærio partem aſſequamini: eius vos toto orbe ad calculum domos, tum ſingularum domuum capita reuocare debere:

quot, amabo, conficietis millia fidei virtutisque amorem, iuuentuti præſertim ingenerantium? vna ſæpè domus denos, quindenos, vicenos huic operæ quot ſeptimanis ſemel deſtinat: ſub quorum præceptionibus ſi nauam ac ſpontaneam pueritiam cenſeatis, non niſi millenarijs numerum abſoluetis; quanti verò ſit vnius etiam homuncionis animam ſubtraxiſſe, aut perfidiæ in Deum, aut ſceleri, nunquã ſatis æſtimabitis, nedum tot millium animarum lucra. Sed hiſce Hetærij meritis, nec habent nec ferunt præmium homines; immortale eſt, quod Superos muneratores requirit.

Verſus ad eum Orarchon, ſe verò, ait, rebus tam nouis fatigari non poſſe, optaſſe de Caniſio nonnulla, quod abs viro hoc Coloniæ non parum ad gloriam accedere audîſſet, vt qui in illâ Vrbe tum ſcientiæ, tum virtutum ſuarum poſuiſſet rudimenta. Ita habet, retulit Eteſius. Non ignobile iſtic tirocinium poſuit. Aurum iam tum gemmis, id eſt, literas virtutibus illuſtrauit; bonus poëta, vt qui nouas tres Charites, Orationem, Abſtinentiam & Eleëmoſynam pulcherrimo vinculo inter ſe ſecumque ſociârit: Rhetor melior, vt qui ijs fuerit inſtructus dicendi ornamentis, quibus ad voluntatem ſuã Superos flexerit: Philoſophus optimus, vt qui mundi cœlique opes ſuâ ęſtimatione perfectiſſimè cenſuit. Siquidem perituras diuitias, ne ſibi perirent, in pauperum vulgus quæſtuosâ apud Superos liberalitate diſtribuit, ac ne libris quidem, vbi alia deeſſent, abſtinuit, pietatis quàm do-

ctrinæ

ctrinæ auidior. Cœlestes verò opes vt securior hæres adiret, iam nouendecim annos natus, perpetuam sibi virginitatis colendæ legem voto indixit, & Petrum Fabrum Hetærianæ familiæ primipilarem denique secutus est. Hoc primum sub Magistro, deinde Dux ipse in deuastantem omnia hæresin, & obrepentem cum ignorantia morum corruptelam mouit adeò feliciter, vt Catechesi non doctâ modò, sed & scriptâ Germaniæ hucdum ab vltimâ pernicie seruatæ, laudem non paruam ferat. Hinc in Boiorum aulâ nota vox. Paulus Hoffæus & Petrus Canisius docuerunt nos legem tuam Domine. Coloniæ, in fide Orthodoxâ, contra erroris magistros, serpentemque non occultè hæresin, confirmatæ meritum Canisius habet. Illum tanquam cœlo lapsum, (vbi huc excurrisset) suscepit, ac pro concione dicentem admirata est. illius auctoritate effectum, vt B. Vrsulæ, SS. Lupi, Mauritij, Summæ deniq; ædis Cathedræ eiusdem instituti hominibus, vno tempore, vnâ in Vrbe, fuerint commissæ. Cæterùm de eo omnia persequi prolixum nimis sit, hac monumenti epigraphe (quam Friburgenses mortuo scripserunt) eius laudes priusquam incepi, finiam. Sic habet:

Venerandus in Christo Pater, Petrus Canisius, Theologus Nouiomagi natus, Societatem IESV tertio à Confirmatione illius anno ingressus, ac Sacerdotio insignitus: ob magni simul & placidi animi præstantiam, à Coloniensi Ecclesia ad Carolum

rolum V. Imp. ab Othone Cardinali Augustano ad S. Concilium Trident. à Carolo V. VVormatiæ contra Melanchtonem Hæreticum, à Pio IV. Pont. Max. ad Principes Germaniæ in fide confirmandos missus. Postquam Romæ, in Siciliæ & Germaniæ Academijs docuisset, diu apud Ferdinandum Imperatorem, & passim summâ cum laude verbum Dei prædicasset, primus Prouincialis Societatis eiusdem in Germania, ab ipso Societatis auctore P. Ignatio datus fuisset, scriptisque fidem Catholicam egregiè illustrasset, auspicijs Reuerendi D. Ioannis Francisci Episcopi Vercellensis Nuntij Apostolici Friburgum sexagenarius venit, Collegij Societatis fundamenta iecit, multa præclara documenta dedit, & quasi quidam Friburgensium patronus; Ecclesiæ per Heluetiam Patriarcha; Religionis Catholicæ sui temporis columna; toto Christiano Orbe notissimus; fide, prudentiá, indefesso scribendi labore, abstinentiâ perenni, grauitate clarissimus, migrauit ad Christum, festo S. Thomæ Apostoli, CIↃ.IↃ.XCVII. anno ætatis LXXVII.

Interea ad nemorosum delabimur collem, quem adolescentes arbusculæ, ita ambierant, vt, velut ad totidem co-

ronas,

ronas, quaternis ſtiparent Ordinibus, quorum alij loco ſublimiores aliis ſuccederent. Totum nemus vocale, varia modò loquebatur, modò concinebat; vt nihil minus quàm aliquod iſtic ab hominibus ludicrum exerceri crederem. Vbi propius acceſſum, aduerti auium hic multarum feruere operas in extruendis nidiculis: & eccum, aio, artifices nouos nec parum induſtrios: ſic Maio præluditur. Vix audimur, & ſubitò pelaſga voce ſalutamur χαῖρε χαῖρε. Nunquid, inquam, in Græciam appulimus? quæ, & vnde hæc vox vbi nemo vſpiam apparet mortalium? ſimul Pſittacum inter frondium vmbras hærentem Orarchon conſpicit, &, en, inquit, lepidiſſimum ſalutatorem. Auis erat capite colloque plumis verſicoloribus criſtata, corpore viridi, flaueſcente caudâ, nouum Pſittacorum genus, & apud Indos, vti ferebant, laudatiſſimum. Monuit Eteſius hac vernâ in ſyluâ complures auium ante Maij aduentum (ne ſylueſtri aliarum cantu imbuerentur) ad certa hominum pronunciata, & melodiam artificioſam erudiri. Nec mora, cùm aliæ ſeſe aues ſuis acclamationibus prodere. Vnius vox erat: *Magnus Deus Soterius*. ſubiungebat alia: *Magnus Heros Hetarius*. quas dum aliæ ſono mediocri, dein elatiori ac tenuiori excipiunt aliæ, denique conſpiranti diſſonantia repetunt, elegantiſſima ſurgit Muſica. Occurrebat adhæc memoriæ illa Pſaphonis Libyci Ornithologia. μέγας θεὸς Ψάφων, qua ipſe cũ aues imbuiſſet, in Deorum numerum referri meruit. Sub hunc deinde concentum velut ad preces verſæ, Litanias v-

na Sanctorum encomiastes auspicatur; illudque, *Sancte Thoma ora pro nobis*, geminatò repetit. Mirabar, vt quid venerationis huic Sancto præ reliquis deferret, cum Mnemon docuit. Psittacum hunc nuper in prædam raptum, ad huius nominis versusque proclamationem à miluio raptore, morte subitâ occupato, liberatum; nunc illam iteratæ memoriæ rependere gratitudinem. Alius subinde non minori admiratione dignus olim ab Ascanio Cardinali centum aureis comparatus, qui articulatissimè, cõtinuatis perpetuò verbis, Christianæ veritatis Symbolum, perinde ac vir peritus, enunciabat. Erubescebat ad istam pietatem Lucianistarũ, credo, de schola Coruus, qui ex opacâ assidebat arbore, & huic sese concertationi querulè ingerens, identidem repetebat, quod ille olim apud Augustum. *Oleum & operam perdidi*. sed huic ex aduerso Psittacus varietate & colorum elegantiâ insignis silentium imperans. *Fatue*, inquit, *tace*. simulque lauro insidens, hoc lusit carmine.

Eufeb. Nier. histor. nat. li. 3 c. 10.

Cæl Rhod. l. 3. c. 32

Ismarius traxit syluas Citharista sequentes,
Nobile cum dulci chordâ animauit ebur.
Huic aderant duræ sitientes carmina rupes;
Mitior hinc vrsus, blandior inde tigris.
Nouimus & Tyrias rapientem Amphiona cautes,
Saxaque ad Aonios officiosa modos.
Mutus erat Delphin, tamen applausisse putatur
Vector Arioniæ per maria alta lyræ.
Has etiam volucrum linguas industria rexit;

Et

Et quibus ingenium defuit, arte valent.
Multi multa queunt: ars & natura laborant;
Alteriusq́ frequens altera creſcit ope.
Sed quod durum adeò tractarit Hetærius orbem,
Quodq́ ferum domuit, quodq́ rudem docuit,
Vincitur hic omnis ſolertia carminis: omnis
Naturæ humanum cedit, & artis, opus.

Hæc omnia dum oculis auribusq́ue ſtupentibus haurimus. Leuia, inquit Mnemon, illa ſunt ad Pſittacorum ingenia: ſi teneris annis humanæ familiaritati aſſueſcant, inter pueros præſertim, quos etiam depereunt, gaudebunt luſibus, riſu, iocis, ſaltu, & ne amare ea dubites, imitatione hæc ſua laudabunt; mandata agnoſcent; corrigent errata; præſertim vbi ſaniora monitos aquâ perfuderis. Sed hæc de adoleſcentioribus: nam vt habet parœmia,

Senex Pſittacus negligit ferulam.

Non poſſum hic, inquit, quin copioſè indigner iſtorum improbitati, qui teneræ ætatis ad pietatem educationem tam neglectim ab Hetærianis accipiunt, vt beneficium ſeſe etiam præſtitiſſe exiſtiment, ſi adoleſcentiam eis erudiendam permittant. Pſittaci vnius ad Symboli perceptionem inſtructio centum æſtimatur aureis; & quot reperias, qui nummo vix liberis pietatem coëmant? O patientiam & amorem Hetærianorum, quo & iſtam indignitatem tolerant, & hanc neceſſitatem, ſibi non neceſſariam, ne vtilem quidem (ſi præſentia ſpectent) amplectuntur! Apud com-

plures pietas ac fides in pretio esse desijt, tantumque ab eius æstimatione, quantum ab amore disceditur. Quæ certè querela sub prima Hetærianorum Catechesin auspicantium incrementa nimium vera fuit. Conimbricæ Martinez huius familiæ homo pro frequentissima concione Christianæ doctrinæ capita explicans: quæstiunculis, vt fit interpositis, rogat; Quis ex tanto numero Deiparam cum Angelo salutare nosset? cumque omnes indignâ, siue ignorantiâ, siue verecundiâ obmutescerent: ad talem ruborem
Lit. societ. Anni 1598. semestris, qui ex gerulæ collo pendebat, infans erubuit ac demutuit, clarâque voce, *Aue Maria* exclamauit, ac salubriori quam ante pudore auditores correxit. Summa tum omnes contentione hanc vocem sunt secuti: & verò adhuc dignissima est quam plurimi imitentur. Quanti, existimatis, huius Psittaci χαῖρε cœlestis auspex licitabitur? quantum erit paria docentium præmium? quot coruos diaboli nomen crocitantes huius loco acroamatis offendimus? quot, prô dolor! sceleribus adsuescunt priusquam illorum turpitudinem norunt, & ignorantes in vitiorum consuetudinem abeunt? Nimirum

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

Quod semel hi aues didicêre carmen, haud facilè dedocentur. Quocirca animus adhucdum innocens, & labis expers virtutum fideique præceptionibus imbuendus est, & scelus præoccupandum. Enimuerò quantum sit tenellis ingenijs

genijs nulla adhucdum opinionum prauitate imbutis veri- Lit.
tatem inſtillare, illa barbarorum Iaponum pueritia teſtis Soc.
eſt, quæ tanto ſuſcipiendi baptiſmi deſiderio æſtuabat, vt in anno 1596.&
ijs quinquennes ſexenneſve pueri; nullis parentum, aut 1606.
blanditijs, aut terriculamentis ab hoc propoſito deduci po-
tuerint, poſtquam ſanis conſilijs & aliqua Chuiſtianæ ſapi-
entiæ prælibatione id eſſent perſuaſi. Repertus eſt, quod ad- Alanus
mirationem mereatur, mutus, qui multis ſuum hunc fidei Copus l.5.c.5.
ſuſcipiendæ amorem ſignis explicaret, vtque ſe diſciplinæ
traditæ demonſtraret capacem; in Chriſti imagine, vulne-
ribus deoſculatis, ſalutis auctorem mente ſe complexum Lit. Indicę
eſſe deſignabat. Videlicet pulchritudo religionis Chriſtia- anni 1596.
næ vbi ſemel animos ſui amore perculit, nihil mediocre
perſuadet. Placuit mihi ille pueri Indici fidem æſtimantis a-
nimus. Venerant in concertationem laudis glorioſuli duo.
Hic ſeſe iactabat ditiorem altero, deinde fortiorem, deniq;
& doctiorem: cui laudatiſſimus antagoniſta; at vno te mul-
tum ſupero, *Chriſtianus ſum*. Subticuit inexſpectato argu-
mento confuſus ille, & ne alteri victoriam concederet, He-
tærianum quempiam adit, &, vbi ſuam probaſſet indolem,
orthodoxis adſcribitur.

Quod ſi iam aliquis expenderit illa, quæ ab hac puerorũ
inſtitutione emolumenta dimanent: meritò exiſtimabit
hanc Hetærianorum induſtriam, non ad rudem tantum
adoleſcentiam, ſed ad omnem denique ætatis ordinem for-
mandum pertinere: inueniet eruditam ad pietatem pueri-

tiam, mores incultos parentum, tum virtutis exemplo, tum modestâ correptione emendantem, atque illud Platonici discipuli ad patrem, effuso risu solutum, vsurpantem; *Nil tale apud Platonem vidi.* Nil ab Hetærio in Catechesi doctũ simile: aliæ sunt istic morum præceptiones. Quot deinde pulli adolescentium hodie, parentibus aniculis cantiones precésve nunquam auditas, vsúve minus familiares præeunt? Synaxeos atque homologeseos frequentandæ amorem ingenerant? Quot deinde collactaneam sibi probitatem ad extremæ senectutis metam prouehunt, vehiculo magis quàm onere vsi. Videas alios ad sacrorum venerationem & frequentem vsum vix pertrahi, tam frigido torpore ad hæc officia constringuntur: currunt verò illi virtute duce ac propitiâ, & comparatâ à teneris celeritate. Tantum est ad omnem difficultatem perfringendam cum pietate adolescere.

Taceo nunc Sacramentorum vsum seculis prioribus frigescentem aut penè intermortuum. Si annos Proauorum præsens non vidisti, historias & facta recole, & vide quis Ruthleanis & Lucianistis totâ Europâ libertatem proclamantibus fuerit pietatis ardor, quis in orthodoxis Sacramentorum amor & frequentia, quam iuuentus culta, senectus pia, matrimonium inuiolatum, cœlibatus purus, pœnitentia ardens, synaxis crebra: imò vide, quam fides multorum infidelis, spes exspes, amor frigidus, sacra profanata. In agro Taruisino, vt exemplum properans inspergam, Sal-

Histo. Societ. l. 2. n. 27. in 1537.

zano

zano pago, Sacerdos Numen atque Eucharisticum epulum ægro deferebat propalam, nullius qui stiparet reuerentiâ ac honore: cum aselli ad pascua agminatim properantes fortè obuij, viâ factâ vtrimq; discessêre, ac in genua subnixi, præsentis deinde presbyteri vestigijs venerabundi, tanquam ad pompam, institêre: nec antè domo, quàm ab reduce benedictione acceptâ, ad pastionẽ recessêre. Nemo fuit qui nõ à brutis hominũ id loci temporisq; impietatem corrigi sentiret. Quæ verò deinde per Catechesin ab Heterio orbe toto sparsim introductã, huic Sacramẽto aliisq; veneratio accesserit, ille iudicet, qui homines, quot annis pęnitentiæ synaxeósq; vix semel assuetos, nũc ea maximo numero quot festis adeuntes, Europâ Indiâque totâ ad censum redegerit.

Dum istis auscultamus, sensim sine sensu collem Fidei sacrum conscendimus. Basilica in hoc erat non mole, sed specie augusta, ex lapide (vti appellabãt) Phengite, sanè pretiosissimo, atq; etiam elegantissimo opere, omni crystallo lucidiore. Tota fabrica nullã, præter hunc lapidem, pro muris admiserat materiem, quicquid cęlum habet rarum stupendúmque, huc vti ad speculum cõfluxerat. Cùm hæc specto ac stupeo: audio Mnemonem Orarchonti strictim recensentem: olim Domitiano talem fuisse in delicijs porticum, in quâ omnium quæ circum agerentur rerum captasset, vt in speculo, imagines. Deinde & Seiæ olim Fortunæ ex eodẽ lapidum pretiosorum genere conflatam atque à Seruio rege dicatam ædem. Neque solùm aduersa, sed & auersa con- Sue. in Dom. c. 14. Plin. l. 36. c. 22.

tem-

templantibus obiicere, vt Maximiliano Cæsari id nominis primo per hunc ludrica ſpectanti etiam famuli à tergo furtum conſtiterit. Sed auertit iſta auſcultantem agnellus nigro vellere aquis ſeſe fontis (qui præ templi foribus aderat) ſitis atque æſtus cauſâ proluens, quem quo aqua attigiſſet loco, iſtic ille detersâ nigredine albeſcebat totus, vt ex Hestiæotidi Melan fontem, cui hanc virtutem tribuunt, allapſum crederem. Nil adhæc Eteſius: niſi;

Plin. l. 3. c. 11.

Multum refert quo fonte bibatur.

Subinde ingredimur Fidei (vti facilis coniectura erat) ſacrarium. Subobſcura erat loci facies, & tacitum quendam ſpectantibus Numinis incutiebat horrorē. Nuſpiam parietibus inſertæ erant excipiendæ luci feneſtræ, ſed continuata gemmei lapidis ſtructura diem quidem, verùm vmbra tenui temperatum miſtumq; affundebat: quod tamen conſilio magis quam errore factum, reperta in capite ædificii inſcriptio ſatis declarabat;

Nox luce illuſtrior hæc eſt.

Duodenis columnis, hinc atque hinc ſenis, nitebatur fabrica. Medium baſilicæ thronus ingens occupabat, triplici graduum ordine in altitudinem eductus, qui vario gemmarum ſibi cohærentium artificio fuêre inſignes. Primus ex Sardonyche erat, lapide, trium quos refert, colorum diſtinctione velut diuerſo; quanquam & Triophthalmos inſertus eſſet triplici in ſe expreſſo oculo clarus: addito elogio;

Oculus videt omnia triplex.

Alter

Alter graduum ordo ex Sapphiro ſurrexerat; qui lapis quod iucundo naturæ miraculo conceptum abs ſe Carbunculum deniquē maturum obſtetricante Sole pariat: hunc titulum meruerat;

Mater ſum Solé parente.

Tertius ex Synodite lapide erat admirando, qui præter expreſſas in ſe Lunæ Solisque imagines, illam refert ad huius velut acceſſum receſſumque incrementa detrimentaque patientem. Quod dum mecum expenderem, quædam mihi militantis Eccleſiæ ſpecies à Spiritu diuino illuſtratæ obuerſabatur animo, quæ ad huius radios plus minúsve illuceſceret. Fauebat opinioni ſubiecta inſcriptio;

Alienis luceo flammis.

Virginis denique aureo in throno ſimulacrum ex Pantarba erat miri fulgoris gemmâ, eiusque virtutis, vt quotquot adhibentur cuiuſcunque lapides naturæ, illos vi quadam innatâ, ceu examen aliquod apum, circum colligat, ſecumque deuinciat. Plurimæ circa Deam puerorum tum Europæorum, tum Maurorum lapideæ ſtatuæ adhæreſcebant, nullo alio quàm naturæ conſpirantis vinculo: hæc tamen Hetærio (cuius iuxta ſimulacrum erat) potiſſimum agente, mediosque per gradus ſtatuas educente, Societas coaluerat. Vnius ex ore hoc pendebat hemiſtichium;

Vis, non violentia, ſtringit.

Dolebam, iniectum eſſe Virgini tam ſtupendæ, ſeque per vmbram ſatis etiam prodenti velum, quod ingenitam

K gemmæ

gemmæ pulchritudinem tenebris, vti videbatur nõ necessarijs, occultaret. quanquam illâ me solarer epigraphe.

His sum pretiosior vmbris.

Quæ mysteria dum anxiâ interpretatione exploro, Numinisque adhucdum ignoti reuerentia tangor; Etesium Oedipum postulo, obtestorque, me vt doceat, quo tanta spectet rerum opulentia atque operis pulchritudo? Gemmas, inquit, Etesius non minus verno tempore quam prata, flores atque arbores delectari Physicorum scitum est; quòd vigorem ab illo, iam cum hyeme intermortuum, atque incrementa hauriant. Tum etiam lapidum præstantissimi nobilissimam sibi anni partem meritò vendicant. Quocirca hæc Eari opulentia domestica ipsi est, & laudatissimis Hetærij laboribus celebrandis adhibita. Pistis verò est, cuius hic simulacrum admiraris: illa omnium ad se nationum infantiam, his gradibus, ab Hetærio potissimum eductam, vti vides, pertrahit. Porrò gradus quibus euehuntur, præcipua esse fidei Christianæ mysteria facilè suo quisque ingenio assequetur. Quid enim aliud triplex in vna gemma oculus, quàm Trias in Vnitate significata? quid aliud ex Sapphiro Carbunculus, quàm ex Virgine Christus? Luna à Sole illustrata, quàm Ecclesia à diuino Spiritu? Per hæc autem mysteria orbi ignoranti patefacta, ceu quosdam ad fidem cœlumque gradus, plurimos mortalium ab Hetærio eductos quis nesciat? Porrò quid templi admiranda fabrica, rerum cœlestium imagines exhibens; quid obscuritas operi

atque

atque ipſi adeò Diuæ cónciliata, quid duodenæ in ea columnæ, nolo facilè diiudicaturis, & rerum fidei non ignaris detegere.

MAIVS.

EDVCATIONEM IVVENTVTIS ad pietatem & religionem complectitur.

REmiſſiore iam ſub meridiem æſtu, Zephyrus ab Occidente nobis abblandiri cœpit amœnius: cui tam grato hoſpiti dum aperto vultu obuiam incedimus, noua ſeſe hortorum ſyluarumq; medio in aëre pendẽtium aperiunt ſpectacula. An, inquam, Babylonis noua hic miracula, penſiles Semiramidis ſyluæ, cœloque librata Regis Syri viridaria? ſubriſit Eteſius, atque inquit, non ſola antiquitas miraculorum fœcunda eſt mater; habet poſteritas, quod veterum induſtriam atque etiam felicitatem ſubterfugit. hęc etiam ſublimiora molitur, & humo neglectâ vicina cœlo educit opera. Nos in vno Hetærio, qui monumentis digna facit, Dædalos ac Myrones habemus plures. Tacitè ſubinde in aurem mihi dictitat Litholeon; ſe, niſi fallatur coniecturâ, tertium hoc veris domicilium pro Religioſâ iuuentute adornatum exiſtimare; ſiquidem prior hortus literatam adoleſcentiam: alter fide ab Hetærio imbutam adumbrauit. Sublimiorem hunc & cœlis propiorem nil religioni habere accommodatius.

 Eadem

Eâdem me suspicione imbuerat: ad quam confirmandam accessit, quod Etesius moneret rarishuc accessionem, & non nisi indolis probatissimæ adolescentibus indulgeri. Nobis tamen ad preces confugientibus, ne isto fraudaremur secreto, aditum fecit, nolens, vt opinor, inceptum beneficium aliqua inhumanitate corrumpere.

Erat columna ad horti caput marmorea, mole atque amplitudine præstans: hæc cauitatem gradusque per scaphum interiorem euectos, lapideis foribus nusquam in rimas dehiscentibus, appositè celabat. Illud cùm mouisset Etesius ostium, via patuit, nosque alacres enixi, medio circiter stadio terram reliquimus. Vbi verò in nouum hunc terrâ cœloque medium orbem conscendimus, triumphali portâ excipiebamur. In portæ arcu, velut ex nido ouoque, Lædæ gemella soboles Castor Polluxque medio iam corpore emerserant: hinc Cygnus astabat, pennis ad Zephyri allapsum explicatis, oreque ad cantum modicè diducto, felici partui applausurus: inde Maius adolescentis specie floribus redimitus, viridique in cyclade, vernas hisce natalibus aspergebat delicias, sibique illos tempestatum Imperatores maturis officijs demerebatur. Subtus in hyperthyro aureis Apollo literis Poëma illud exarauerat, gratitudinis suæ, postquam hunc locum spectasset, monumentum.

Hæc Zephyri domus est, Verisq́ perenne theatrum,
Chloridis hospitium, volucrumq́ palæstra, voluptas
Syluarum; tantumq́ fouet miracula rerum:

Ante

Ante Semiramidos longè felicior hortos.
Non pallent hic nube dies, nec amœna procellis
Aura riget, Zephyrisq́; nocet lasciuia Cori;
Sed plaudit leuibus per aprica Fauonius alis.
Non hic pubescens exspirat Flora decorem,
Natalem claudens tumulo; sed munere Veris
Æterni roseum terris depingit olympum.
Quicquid Achæmenicis aspirat odoribus orbis,
Hic fragrat meliore modo. sua lilia campo
Virginitas fœcunda parit; rosa multa pudore
Picta rubet; violas vita inuiolata propagat.
Hic melior Narcissus opes, Hyacinthus honores
Explicat; Euphrasiæq́; comis est gratia maior.
Hìc noua frondosis Citharistria Veris in vmbris
Carmina commentatur auis. Philomela dolores
Hìc oblita suos noua cunctis gaudia plaudit.
Hìc cantat, non plangit Olor.

Cupiditatem visendi tam splendida accendebat promissio. Ingressi igitur loci amœnitatem omni artificiorum genere excultam admirari cœpimus. Ex palmis, lauris, buxo, hedera, myrto variȩ animantium, porticuum, castellorumque formæ, fornicatæ pergulæ, opere topiario vestiti parietes, discriminata horti receptacula ac velut domicilia. sparsæ etiam hinc neglectim, inde de industria ad syluæ speciem arbores. Ceterum primò nobilissimum ex rarioribus arbusculis plantarium offendimus, exquisitissimas Orbis plantas

certosque in ordines, velut aciem, digestas, prunorum, citreorum, ficuum continebat; quæ hinc post adolescentiæ florem ac spem indolis, aliò in patentiores horti camporumque areas fructum facturæ traducebantur.

Ad huius rei contemplationem ista mentem inuasit cogitatio. Seminaria illa Hetærianorum nihil admodum ab huiuscemodi plantarijs diuersum habere. Istic opportuno solo iuuentutem ad literas ac probitatem pari contentione educari, quę deinde ad varia Ecclesiæ officia ac loca, insigni Religionis Catholicæ emolumento, transferatur. Quæ cum, vti in mentem, sic & linguam incidissent, probauit opinionem Etesius: & hæc, inquit, Collegia magno Reipublicæ Christianæ bono ab Hetærio primùm sunt excitata fidei pietatisque tum conseruandæ augendæque, tum contra infesta aduersariorum arma ac machinamenta defendendæ gratia.

Iam in Europâ, imprimisque Germaniâ, aut Pastoribus Religio, aut Ecclesiæ Pastores deerant: quosdam hæresis, quosdam priuata vitæ licentia subuerterat, plures hebetauerat ignorantia. Castitatem cum parœciæ administratione coniunxisse etiam probrosum videbatur; adeò vel vitium, vel error inualuerat. Vbi verò in priuatis hisce Seminariorum viridarijs, excultæ literarum virtutisque alimento plantulæ, in desertos infructuososque Ecclesiæ agros translatæ sunt, constitit egregius operæ impensæ fructus. Hoc Hetærianorum consilium auxiliumque iuxtà promptum,

tqti Europæ (cui illa hæreſeos peſtilentia imminere credi potuit) ſeruandæ, complures Antiſtites ſunt amplexi, quod contra ſerpens contagionis venenum præclarè valuit. Hac etiam potiſſimum via ac ratione Indorum infidelitas ignorantiaque ſubuerſa eſt, inſtituto apud Goanos adoleſcentum barbarorum Collegio, qui & moribus, & fide imbuti, ſuis exemplo præceptisque ad fidem & virtutem prælucerent. Compertum deinde nihil ad rectè laudabiliterque viuendum multis, præter educationem ac literas, defuiſſe. Vbi virtuti Muſisq; impigrè aſſueuit animus, ab illa voluntate haud facilè ad illicitam abripitur. Vbi exculta mens ad innocentiæ modeſtiæque familiaritatem deducta eſt, perquam grauiter ſceleris conſcientiam patitur. Vbi precum, quàm nugarum adoleſcẽs peritior; moderationis, cibi, potus, ſomniq; ad dimenſum ſumendi, quã vitæ immoderatæ tolerantior; mirum eſt, quot præſidijs ad ſuam & Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem vtatur. His verò omnibus, non leui brachio ac perfunctoriè, in priuatis illis palęſtris per Hetærium exercentur.

Videas hodiè illuſtres certè ab hiſce plantarijs eductas arbores, quarum fructu atque vmbrâ Orthodoxæ Religionis per Europam homines eximiâ cum voluptate frùuntur. Quanta verò ad commune bonum hinc facta acceſſio, facilè aſſequetur, qui expenderit, quantam perdita ſacerdotum vita perniciem in Rempublicam inuehat. Quo enim exemplo virtutem laudabunt, quam ipſi contemptim vſurpant?

pant? quibus id argumentis ſuadebunt, quod moribus diſſuadent, neque ipſi ſibi credere putantur? aut ſi aliorum vitijs palam non indignentur, ne ſuæ famæ infenſi videantur, quomodo vel nomen officij tuebuntur? Secus, qui eam virtutis famam vitamq́ue poſſidet, quæ in ſeminarijs plantatur, ac primum adoleſcit: is ſuo etiam ſilentio perorabit facilius, quam ipsâ ſtentoris clamoſitate ex cathedrâ armatus. Exempla admouebit primum, deinde verba, vt expugnet atque in poteſtatem perducat omnium animos. credent, quod credi vident. Aliorum exempla inuitant, Paſtorum rapiunt. Proximum quod in hiſce fidei præſidiarijs requiritur, doctrina eſt. Ducem cæcũ, Archiſtrategum mancum, Anteambulonem claudum nemo hactenus laudauit. Doctor rudis, & elinguis Legatus parem in munere ſucceſſum ferent. Vt legem quis doceat, ſcire hanc illum neceſſe eſt: inſtructum iam ante oportet, qui alios inſtruat: neque rudi Mineruâ, & à limine; vt, cui æquitatis lex omnis; quid ſibi, quid alteri, quid Superis debeatur, explicandum incumbit. ad quæ, vt quis valeat, præter artium, quas liberales dicunt, non humanæ modò; ſed & diuinæ ſapientiæ exploranda eſt ratio. Hæc verò, quam in iſtis Hetærij Collegijs accurentur omnia, orbis teſtimonio conſtat.

Inter deambulationem iſta diſſerebat, donec ad florentiſſima tempe nobis ſenſim dilapſis, & grata florum varietas oculis, & odor ſuauiſſimus naribus aſpirare cœpit. Superi quanta elegantia! Loquebantur omnia, & tacita commenda-

mendatione influebant inſpectantium animos. Lilia tot linguis nobis abblandiri fauoremque exorare, quot folijs prædita, credebantur. Hyacinthi purpureis arridere genis. Narciſſus & Amaracus croceis labellis exoſculari, Acanthus atque Amaranthus immortali viriditate exultare; verbo, formoſiſſima illa veterum adoleſcentia in hoc florum ſodalitium confluxiſſe videbatur, neque alibi, quam hic ſuam metamorphoſin adijſſe; aut certè nullibi minus, quam hìc fabuloſam. Porrò totus hic florum exercitus pulcherrimo ordine diſtributus: hinc Soterij, inde Matris eiuſdem Partheniæ inſignia tenerioribus palmis expreſſa implebat, velut ſtationis ſuæ deſignatos limites.

Dum iſta curiosè pro ſe quiſque delibamus, neſcio cuius fraude, ſubita tempeſtas ſudo aëre largis in nos imbribus exundare cœpit. Res inexſpectata ab omnibus, trepida, iucunda tamen conclamatione excipitur: dum ſuſpicimus, plurimæ aquarum irides capitibus circum impendentes vario colore, quem Sol incidens fecit, terrebant alios, alios oblectabant, humectabant omnes. Spes erat in fuga ad proximam porticum deſtinata; ſed quanto ſe quiſque mouere amplius, tanto largior ſurgebat imber, qui non de cœlo, prorſus innubi; ſed humo ſaltim magnis nos arcubus, vario ſibimet artificio implicitis, inuoluebat. Mæandrum medio nunc aëre ſuſpenſum credidiſſes. Denique vbi alij euaſiſſent hanc procellam, ego adhuc in hoc aquarum labyrintho Ariadnæ fila præſtolabar, cùm ſubitò (ceu dato ſigno Ne-

reus receptui cecinisset) tempestas acquieuit. Risimus affatim perplexitatem nostram, meq; præsertim, quod Thesei honoribus viderer dignissimus. Earus porrò officiosè easdem mihi deferebat rursum irides, quæ pro coronis atque arcu triumphantem Sanouisum exornare possent. Sed ego me tum quidem satis honoris ac madoris abstulisse dixi, aliàs ad eosdem cautius rediturum.

Etesius subinde artificiosas nobis in floreo hoc campo aquas explicare aggressus, illas ex altissimo iuxta mõte præcipites per canalem subterraneum delabi memorabat, quo denique per vnam columnarum in hanc altitudinem flexo aquæ excipiantur, nouumque in columnæ capite fontem parturiant. Ex occultâ hac scaturigine multos per agrum tectim sparsos esse tubos, qui deinde ad Soterij Partheniæque insignia per flores ex ære fictos hiantesque exspirarent, vbi primùm laxata in grandiorem tubum aqua, remoto obice, admitteretur. Ita & recreationi alendæ prouisum, & cautum floribus, ne ad siccitatem nimiam subitò contrahantur, & languescant. Multis hanc artis & naturæ industriam pulchritudinemque collaudauimus. Cùm ille, in hoc, inquit, vestram felicitatem intuemini ô Adolescentiæ flores. Vestra hæc laus est ac pulchritudo, qui ad Sodalitates velut aureolas sub IESV Mariæque insignibus Hetærio Duce ac Moderatore confluxistis. Nulla vos hìc exsucca deuotionis ariditas inter ista pietatis irrigua, solatiorumque affluxum destituit, nulla bacchatur ventorum, idest, vitio-

rum

rum insolentía, nec tam periculosa timetur tempestatum seditio, sociorum, inquam, seductio. Sub Castoris Pollucisque, Filij Matrisq; tutelâ, in Vere aureo, in prato florido virtutum consistitis. Nihil hic in vobis inamœnum: aut peccata ignoratis; aut pœnitendo dediscitis. Nullæ hic ad scelera illecebræ, multæ ad probitatem: rara peccantium exempla, pœnitentium multa.

Plurimum interest socijs stipatum incedere, siue ad vitium, siue ad virtutem iter sit. Paucis solitudo etiam in scelere placuit: voluptas absque sodale diu voluptas non est. Denique virtus si sola sit, ac nuda, facilè obrigescit: in hac ferè aut præeuntes obseruamus, aut comites; & exemplo fere magis, quàm ingenio probitatem amplectimur. Habet enim virtus arduitatem, vsque adeò, vt sine hac virtus non sit; ad hanc perfringendam ducibus atque exemplis opus est: horum cogitatio virili fortitudine inutilem formidinem obruit: audebunt, frigidiores licet, quod & ausos alios feliciter ac cùm laude vident. Quid enim mirùm si Themistocles aliquis de Miltiadis, trophæis somniet? si Pompeium æmuletur Iulius? aut si cum Hercule Theseus, cum Achille Agamemnon audacius pugnam, atque etiam vtilius capessat? Hoc tamen insigne illa Hetærij sodalitia habent ad pietatē subsidium, quod *Virtus vnita fortior*, & flores in areolâ collecti variâ illâ iunctâque amœnitate magis oblectent.

Cetera verò ex hac collectione atque ad virtutem conspiratione emanantia commoda, quanto numero ac varie-

tate cenſentur? mutuæ caritatis vinculum, piorum officiorum reciproca delatio, precum ſubſidiaria opera, Diuorum ac Deiparæ præſertim tutela. Felix certè adoleſcens, qui ad illum morum probatiſſimorum campum, virtutis pratum, ac ſalutis humanæ ſtadium admittitur, vbi pullulans libido ſuffocatur, ira regitur, cupiditas temperatur; vbi amoris quoddam diuini regnum eſt, & noua quædam in patentibus mundi campis & ſeculi libertate inſtituta certis ſub legibus Religio. Eſt aliquid ſuis in puluillis, inter hos cancellos, flores acquieſcere, ſubter moleſtas herbas fruticéſque nulli florum aut gratum eſſe licuit, aut diuturnum.

Hoc ſanè pietatis viridarium pulcherrimis Auſtriacæ Bauaræq; ſtirpis floribus nobilitatum eſt. Cæſares, Archiduces ac Principes (vt humiliora tranſiliam) tanto numero cenſuit, quanto in his aulis adoleſcere præſens ſeculum vidit. Ferdinandos, Leopoldos, Maximilianos hîc obſeruauimus tam altas demiſſionis egiſſe radices, vt inter abiectiſſima Sodalium experimenta, ad pedes pauperum ſtrati ſordidum lotorum munus non aſpernarentur. Nimirum hiſce roſis ex putri fimoſáq; humo inter allia ſubnaſcentibus, hoc debemus elogium, *Hinc ducit odorem.*

Nam vti ex fœda humo ſuam hic flos pulchritudinem, ex malè olenti gratiſſimum odorem trahit; ita iſti Europæ flores nuſquam pulchriori exemplo gratioriq; effloruêre. Illud vtriuſq; familiæ heroibus peculiare ac patrium videtur, *Demiſſione eleuari.*

Quod

Quod pium eſt, vile illis videri nequaquam poteſt. Laudatiſſimi Sodalis Parthenij Imperatoris noſtri Ferdinandi hic titulus eſt, ſub quo primùm ſe, deinde Imperium moderatur ac defendit,

Pietate & Iuſtitiâ.

His velut geminis gradibus inter Parthenios cultores optimum Parentem ſequitur bonus Filius; viâ qua de terrâ ad cælum

Ex imperio itur ad imperium.

Nolo breuitatis ſtudio exempla heroum à me commemoratorum (quæ plurima ſunt) porrò ſectari: quorum ſi ego fratrum, conſanguineorum, coniugum, ac domeſticorum illuſtrium Sodalitijs adſcriptorum nomina in cenſum cogerem, catalogum explerem. Ipſæ quorundam familiæ integræ in huiuſcemodi virtutis palæſtras demigraſſe videntur. Gallorum lilia hiſce etiam floribus non accenſebo. Quod ſi tamen omnium, genere virtuteque inter Gallos illuſtrium, ſententiâ, Auenionenſis Congregationis Præfectus Epiſcopus Venſienſis locutus eſt, cùm *nomen ſibi in Sodalitio glorioſius, quàm mitram in capite* aſſereret, liliorum illi inter flores nobilitatem præclarè tuentur.

Interpellabam dicentem, quod proximè areolam cordis figuræ incluſam obſeruaſſem, quam triangulare palmetum leniter ad cordis effigiem flexum cingebat. Triplici illud loco in arbuſculam emerſerat trigoni ſpeciem conſtituentem: ſingulæ arborum, quod admireris, ſingulos medio e-

minentes trunco flores parturierant. Exclamaui, vt videram, quid hoc ſpectaculi, an & hic arbuſta lilijs roſiſque efloreſcunt? Eteſius ad Mnemonem verſus ſubridente ore; mirantur, inquit, nobis cognitu familiaria: Age tu Oedipodem, & archiua erue. Porrò Mnemon, ſi, inquit, nuperos illos Baſileenſium puerorum flores, ſupra naturam artemque ſolâ virtutis fœcunditate ex arbuſculis ſurgentes intel-
Io. Nider. l. 2. c. 1. in formic. lexiſtis, his paria etiam videtis. Iſtic terna vnius parentis ſoboles, vbi nouam in domum hortumque demigraret, pro ſe quæque quamlibet amplexa arbuſculam, puerili ingenio, hæc mea erit, exclamauit: ſubinde, ſingulæ arbores à ſingulis curatæ, certatim eodem anno florem exerere pulcherrimum, & infantium ſanctitatem lilia ac roſæ loqui cœperunt. Ad hoc noſtrum viridarium admiſſi complures eâdem æmulatione has palmas ſunt complexi: quæ illos, quos videtis, puerilis innocentiæ flores dedêre. Alexander Bertius in his cenſetur ex Florentino Mediceorum horto Violantâ (penè violâ) matre, flos & ipſe, natus. Hunc à cunis ſibi vendicauerat Soterij mater Parthenia floſculum in palmâ locandum: quæ & per ſomnum iuſſit Violantam maternis curis parcere, ſuum hunc alumnum eſſe: cui (ne quid præter hortum roſaſque ſpiraret) identidem Parthenia adſiſtere viſa, florumque imbres aſpergere, totum floreum velle.
Sodal. Parth. Mel & roſas puer loquebatur, IESVM & Mariam: prima motarum manuum lineamenta crux in fronte erant: primum ſtudium ſodalem agere omnibus numeris abſolutiſſimum.

Nec

Nec ſatis; etiam ſecretiora apud Hetærium adyta, religionem meditabatur. Literas per otium pietatis tractabat, plus tamen vt ageret, quam alij in negotio. Suam ipſe innocentiam caſtigabat cilicijs, flagris, ieiunijs, atque in iſtis opum, quibus affluebat, delicijs pane & aquâ deliciabatur. quid plura? mortuus hic eſt, immò incœpit viuere in Vere floſculus iam Hetærianæ familiæ voto inſertus: quanquam & inter Sodales benè floreat.

Hanc violam Violanta parens, Florentia florem
Patria, natali quondam aluêre ſinu.
Nunc cœlo datus eſt. Donorum vertitur ordo;
Hactenus aſtra ſolo, dat modò terra polo.

Geminus huic Antonius fuit illuſtris in agro Piſaurenſi familiæ puer, flos in palmâ ac Romani Seminarij miraculum: hoc Bertio felicior, quod non voto ſolo, ſed & facto ipſo familiaribus Hetærij adſcriptus prius quàm cœlitibus fuerit. Trium hic ſibi in vita orabat fieri copiã: vt in turba, non niſi de Deo; ſoli, non niſi cum Deo colloqui; vniuerſim aliud nihil, quam Deum ex cruce ſuſpenſum liceret contemplari. Ambitiosè ſectabatur ſui deſpicientiã, prouocare, hanc etiã atq; ambire ſolitus, impendio lætior cùm perſuaſiſſet. In nullum vnquam aduerſarium inclementius viſus eſt indignari quàm ſuum illud corpuſculum, neque innocentiæ ſuæ teſtimonia audiebat ſeuerus in ſe Iudex. Lecto vt plurimùm inculta ligna, ſeſe lignis ad quietem inſtrauit: funes muricibus aculeiſque ferramentorum armatos lateribus

Bider. Vbald.

ribus pro more vinciendis adhibuit: plexum aliquando ex vepribus acutis ſertum tam immiti ſpectaculo nudo inflixit capiti, vt adſtantium oculos animosque tantâ inclementiâ auerteret. Aliter Antonius quam fabuloſus olim Iupiter *Voluptatem Dolori nexuit*,

Aut verius hunc in illam ſibi commutauit; felici metamorphoſi atque euentu, quo ipſe iam tum in ipſo adoleſcentiæ flore inter Superos meruit referri, cùm iam in numerum Hetærianorum, veſte ſumpta relatus eſſet. Merito proinde accinimus:

Morte alij frigent, tamen Vbaldine calebas,
Hetæriana fecit hunc æſtum toga.

Tertium Hyacinthum illum & ſubfuſcum ferrugine floſculum Indiano Michaëli Ayatumo debemus. Adoleſcenti Seminarijs non minus, quam Sodalitijs debito; ita florentiſſima inter omnes probitatis indole nituit. Roſis delectatus eſt ijs, quas roſario nouies quot diebus euoluendo Diuæ Partheniæ nectebat. Nil niſi preces loquebatur, nil ſpirabat præter amoris ſuſpiria. Flagella indies liberalius auidiusque quàm cibum ambiebat; illis paſci, hoc vti ſolum viſus. Propediem moriturus, vrbis obeundæ, flagrisque in ſe propalam animaduertendi poteſtatem orabat. Terræ ſuauius, quam plumis alij, accubabat, cuius tamen furti ab Hetærianorum quopiam (quibus regendus ſuberat) compertus reprehenſusque. Vbi, inquit, aptius terra, quàm in terra ſternitur? Omnibus domi foriſque contubernalibus, ipſi

Io Ni. adol. Europ

adeò

adeò coquo à vilissimis seruitijs esse flagitabat. Munus dederat, qui oblatam ab illo operam accepisset. Libros alii ipsius virtutibus implent, quos à septennio cum fide auspicatus in pauculos vitæ annos extendit. Nos florem hunc digito tantum signauimus; Vos si alia ex hac Adolescentum societate, aut lilia, aut rosas quæritis, hodiedum in Hetærianis viridariis passim adolescentes inuenientur, qui modestiæ verecundiæque purpura, & castimoniæ niue placere potewrunt. Nempe iisdem toto orbe ad virtutem præceptis legibusque formantur omnes: quibus ab Hetærio feliciter conceptis, & à summo sacrorum Præsule probatis hactenus nondum est derogatum. Voluntariam hanc necessitudinem parendi æquis ad pietatem statutis ac præceptionibus, vt quisque liberè adit, sic facilè iisdem obsequitur.

Tanta porrò huic studio adhærentium est frequentia; vt si solum toto orbe Congregationum numerum explores, inexhaustus sit. non enim ille (si præter adolescentium, etiam adultorũ censere cupias) cum Hetærianorũ domicilijs multitudine æquari poterunt, cùm vnâ nõnunquam vrbe, vnius domus curâ, diuersa viginti Sodalitia administrentur. Vnus, quod obstupescas, Georgius Cisnerus, anno 1611. vita simul atque hac diligentia defunctus, trecenta Sodalium Collegia abs se diuersis locis instituta reliquit, quasi totidem suæ pietatis in Diuos monumenta. Nolo ad ignota vos ablegare, lustrate Coloniam, istic quot hominum prope Ordines, tot & diuersos Sodalium censebitis: Ecclesiasti-

corum ac Patriciorum, Ciuium, Militum, Opificum, Gallorum, Pauperum, adoleſcentum quinque, mulierum etiam multò plures, vt ſic applaudere Colonienſibus liceat:

——Flores ager iſte Coloni
Delitiasq́ꝫ Hortorum habet.

Vincebar admiratione tantarum rerum, ſubitâque exclamatione adieci, Væ Orbi atque Europæ imprimis noſtræ, ni iſtis ad pietatem vteretur præſidijs, quæ inter hæc adiumenta tantâ adhuc ſeruitute vitiorum tenetur! Iſtis, heu! bellorum incendijs hæreſis fomitem, ſcelera materiam præbent: Vruntur hæc diu, & nunquam conflagrant: ſtigmata iſtius in DEVM perfidiæ plura indies Magneria accipit, & niſi naſcenti huic malo maturè tantis interueniſſet ad literas, fidem ac virtutem inuitamentis, buſtum illa fuiſſet vnicum. Ad quæ Litholeon ridiculè, ſeu vt triſtium memoriam rerum mihi excuteret, ſeu vt ad præſentem amœnitatem plenius fruendam aduerteret: Noli mi Sanouiſe nimis hodie eſſe Philoſophus. Eccum hiſce in arbuſtis auium captandarum opportunitatem oblatam, nidiculum exploraui, deſignatam iam habeo prædam: ſi manum in ſubſidium admoueris, partiemur aucupium. Hem inquam ego, vide ne quid contra loci religionem atque libertatem pecces: Vereor vt bonis iſta auibus aggrediaris. Diſſimulabat hæc Eteſius; quod ſatis etiam ſibi ad negatam facultatem Litholeon arbitrabatur.

Quare aliquantulum à loco, ex quo nidus pendebat, re-

moti,

moti, seniculam parentem prædâ grauem aduolare notamus, quæ vbi extremo arbusculæ ramo ad securitatem explorandam consedisset, quanta (Superi!) pullorum concertatio! pipilare omnes, patuloque ore altricis liberalitatem pro se quisque præstolari; prouida verò dispensatrix, duobus partitam venationem in ipsas fauces ingerere, nec multò post redux ceteros ex ordine pipiones, non fallente memoriâ, pascere: quâ cùm omnes industriâ bis terue in orbem refecerat; ipsam se denique explicatâ vtrimque alâ pullis fouendis impendit. Nec comœdiæ finis: mascula auis (quæ erat Luscinia) in proximo arbusto assidens præibat suauissimum melos, quod adolescentiores illas percuperet meditari, ac denique imitatione reddere. Erat carmē, cuius nec Musarum vocalissimam suppuduisse posset: modò vox vna, nullisque suspirandi interuallis remissa; modò incisis versuum membris velut in hemistichia desinens; nunc planâ æqualique voce, tanquam ad notarum eâdem lineâ currentium tonos dimensa; nunc sus-deque flexa crispatimq; vibrata erat, consonantijs dissonantijsque ad stuporem variè iucundèque intercidentibus; nunc punctim saltimque excurrens vocis impetum velut pro imperio sistit, aut tolutim concessis habenis incitat: nonnunquam Ityn suum recordata flebilibus elegis næniam instruit: aliàs velut ex mœrore euigilans, nouas cunas procumque cogitat, nouique amoris ludit Adonijs. Inuidebant Philomelæ eam canendi gratiam, quæ non procul hinc varia modulatione ad-

ludebant Acanthides, Fringillæ, Linariæ, atque præ his Canaria (ab Insula Atlantici maris sic dicta) vbi in concertationem venisset, mirum quantũ Lusciniæ æmulationẽ non ferenti alacritatis accreuerit. Auis est Paro nõ absimilis, nisi quod caudæ alarumq; plumis virescat, & rostro leniter inflexo albicet. Discantum inter aues musicas amœnissima vocis tum eleuatione, tum inflexione tenet: ita cum tenuissimos faucium neruos explicat, vibrata vocula modulos intendit extenditque; vt odas integras, nulla suspirandi licentia interruptas, expleat, pendẽtibus audientium animis admiratione, atque amore suauitatis tam sublimi blandisonæq; melodiæ affixis. Cumque hac contentione omnis latè vicinia resonaret, & nos hæ Poëtriæ velut arbitros certaminis in medio relinquerent gaudentes spectari, aliud multò euenit iucundissimũ. Nonnulla auiũ media reliquis elatiori aliquantũ arbore assidet, magnitudine par Sturno erat, subtus in ventre albicans, ceterũ fusca, niueis tamen pennis ad elegantiã intercurrentibus, caput plumis argenteis coronatum. Vbi obseruata hæc à Mnemone auis, Miracula, inquit, vocum mille ab vno vobis gutture promitto, blandimenta linguæ hactenus vobis incognita. Polyglotta hæc nobis dicitur, Indis Cencontlatolli seu quadringentarum linguarum: melodiæ totius Regina est, concentus auium æmulatur omnes, nullam nõ superat. Igitur ad contemplationem scenæ cum ista consedisset, leuibus primum velitationibus cum alijs pugnã aggreditur, vt lacessendo & spem victoriæ diffe-

Aldr. Ornit. l. 18.

Euseb. Nier. hist. nat. li. 10. c. 7.

differendo magis omnes in certamen accenderet. Deinde singulas illa auiculas prout præcinebant, pari facilitate, maiori elegantia & arte subsequitur: cumque ex ordine singulas musico esset duello aggressa, omnium denique vna vocibus pro epiphonemate ita lusit; vt triumphalem oden canere videretur. Obseruabam in ista auicula simillimam aliquam Hetærio indolem; vt quem vnum, *Omnibus esse omnia* arbitrarer: cum pueris blandum & eiusdem innocentiæ penè puerum; grauem cum morosiore senio: inter iuuentutem sine dissolutione amœnum: inter viros sine elatione magnanimum; omnium referre ingenia, vt ad Regis sui Soterij partes atque familiaritatem omnes adducat. Mitridates viginti & duarum gentium linguas imitatione expressit: Hetærius penè omnium, quot in orbe sunt. Nihil adeò seu varium, seu arduum in animorum conciliatrice Deo Musica, quod non studiosè hæc Polyglotta æmuletur atque exprimat. Hæc mecum tacitè: sed palam Orarchon, huius concertationis non otiosus arbiter, his Polyglottæ versibus alludebat:

O vocis Polyglotta decus, nemorisq; voluptas,
Vox syluæ, hortorum Siren! quàm blanda palati
Plectra feris, centum vna modis, centum vna figuris
Docta melos; Musas vno omnes gutture claudis!
Heroum nunc magna sonas oracula plenis
Insistens numeris, lentoq; tenore sonoram
Impendens animam: strictis modò vocis habenis

Carmina deproperas saltìm, raptátaque laxas,
Et laxata rapis: nunc tanquam incerta canendi
Exploras diuersa simul discrimina vocum:
Alta tonas, submissa cadis, medioq́ vagaris
Carmine, & inflexis modò colligis omnia neruis
Bassa simul tenuisq́, modisq́ industria cunctis,
Dißimilis similisq́ tibi: nunc labitur æquo
Tramite neglectim, nulloq́ plicatilis errat
Vox inflexa tono; nunc mille exculta figuris,
Mille tropis rapitur; tamen est discordia concors,
Dum leuis & grauis es, maiorq́ minorq́ vicißim.
Anxia nunc trepidis tibi Musica faucibus errat
Vix artis secura suæ, victoria nutans
Creditur, & primo vox exspirasse sub ausu.
Cùm rursum excurrens cœlo libratur aperto;
Qualis ab intento volat icta sagitta metallo
Exanimis cœli Volucris, dum nubila propter
Ambulat ignotis prius interclusa pharetris.
Aut qualis fidicen tenui cum pectine carpsit
Fila tremens, languensq́ manu, atq́ immemor artis,
Iam defecturos dispergere creditur ictus,
Artificem pellit vigilanti carmine somnum
Voce super, super arte insurgens, redimensq́ quietem:
Mox pleno repetit cantus dispendia motu.
Talis eras. hoc maius habes, quòd blanda sonoris,
Grandia quòd leuibus, tremulis constantia, lætis

Tristia,

Tristia, & iratis adiungas mitia plectris.
O volucris, qualem dulci nec Pindarus ore,
Nec Phœbus cytharâ, aut Orpheus testudine vincat!

Adiecit Orarchon, vnius ſeſe optare fieri compotem, quo olim Apollonius Thyanæus eximium ſe prædicârat; vt auium voces, ex ſuâ quaſque ſignificatione diſtingueret. Rem, inquit Eteſius, facillimam poſtulas; vnâ vnicâ omnes linguâ loquuntur laudem Diuorum ac Soterij: hâc à teneris vnguiculis & nidi incunabulis exercentur: huc omne earum ſtudium atque induſtria ſpectat: cantus plauſus Numinis eſt, volatus applauſus, ſaltus iubilus eſt; nihil in hac muſicâ aſperum, nihil diſſonum, conſpirant harmonicè omnia. Religioſum, inquit Litholeon, vt video Ordinem etiam inter aues excitas; is enim, vt referunt, ab Ordine nomen habet, quo omnia in DEI Diuorumq́; gloriam magnâ conſpiratione & actionum, & linguæ diriguntur. Ita verò habet, Eteſius ſubijcit: quod aues in ſyluis, in Religionibus ſuo inſtituto viuentibus homines ſunt; ſuauiſſimis laudibus plaudunt Numini: facta, dicta, cogitata omnia ſuis in harmonicâ ſcalâ gradibus conſiſtunt, omnibus his ad elegantiſſimam Muſicam conſpirantibus. Si quæ cuiuſpiam nota aut vox exorbitet, Muſarchus tactum, clauem, etiam ſi opus eſt, ſpongiam adhibet; emendatur aut expungitur. Neque hic pulcherrimus concentus vnius tantum alteriuſve eſt Lunæ; ſed cum anno clauditur atque incipit (nam perpetuum Ver eſt Religio) hîc baſſum tenet demiſſio, altum

cha-

charitas, diſcantum paupertas, tenorem obedientia. Non hìc raucum ira, ſtridulum detractio intonat, nil fractum infert diſcordia, hiulcum gula, remiſſum otioſitas: optima, dixi, Muſicæ illius eſt concordia. Sed quomodo illud excuſas grauiſſimum in illa vitium, quod aiunt ex Religionibus natas hæreſes, & nuſquam turpius fidei virtutiſque harmoniam, quàm ab his Phonaſcis laceratam eſſe? Paucorum, reponit Eteſius, & lapſorum ſeculorum hoc vitium eſt, quod malè & omnibus, & hodiernis impingitur. Scimus quanto olim Reip. Catholicæ emolumento, & quam egregia ad pietatem ſibi alijſque inculcandam conſpiratione nati ſint Auguſtini, Benedicti, Dominici, Franciſci, qui labentem fidei virtutiſque concordiam, multorumque erroribus diſſonam Chriſtianæ vitæ harmoniam ſcitè, aut viuendi præceptis, aut exemplis emendarunt. Et quid mirum ſi rurſus annorum lapſu organa quædam vitiata, & corruptæ ſunt alicuius citharæ fides? certè poſt natum Hetærium, religio omnis, iſta ad virtutem conſpiratione, viuit; vt priorum ſeculorum inuidiam mereatur; ſiquidem hoc, ſiue comite, ſiue etiam excitante antiquæ probitatis atque innocentiæ veſtigia legit. Et ſi cetera abeſſent omnia, Hetærij aliorumque, quorum feruor nunquam elanguit, Religioſorum exemplum, & pia ceterorum æmulatio tantum boni potuiſſe cenſenda ſunt. Eſt aliquid, vti audiſtis, æmulas aues habere Luſciniam. Rarum eſt cum doctrina virtuteque imbutis diu viuere, nec ijs delectari. Literæ in alijs viſæ earum

rum in nobis cupiditatẽ accendũt, & nolumus rudes videri ſapientibus alijs. Aliorum zelus & noſtrum eſt incendium. Rem porrò Hetærius aggreſſus eſt Religioſæ vitæ amplificandæ opportunam: Scholas, Academias, Seminaria, Sodalitates magno numero per orbem totum excitauit. Ex quibus Syluis quot Religionis modò habentur Luſciniæ virtutis ac ſcientiæ concentu gratiſſimæ? Luſtrate in Europa Religioſorum domicilia, & rara erunt, quæ nullam Hetærij laboribus excultam auiculam debeant. ipſa adeò Hetærianæ familiæ decora, & adoleſcentes Philomelæ hiſce viridarijs educantur.

Aloyſius certè Gonzaga Principum Soboles, ſi non nata hoc in horto, denique ſaltem recepta Polyglotta videri potuit, ita omnium virtutes imitatione expreſſit. Prima loquentis vox Iesvs & Maria. Etiamnum puer ſalutationem Virgini Angelicam, per ſingulos ſcalarum, quos adibat, gradus accinuit. Horas Deiparæ cum indies, tum Sabbatho impranſus decurrit. Denique gratiſſima applauſit Virgini ad aram Florentiæ muſica Virginitatis ſeruandæ decreto. Tactũ & ipſe flagellis, catenis, calcaribus in ſe armatus dabat, ter in ſeptimana ſuo ſanguine purpuratus. In eſuriales victualesq́ue dies ſextiduum quot hebdomadis ex æquo partiebatur, atque in baſilico apparatu panem & aquam cenſebat. Nemini minus quàm fœminis; magis, quàm Angelis Diuisq́ue tutelaribus loquebatur. Ad familiam Hetærii adoleſcens admiſſus, quàm admiranda non præſtitit!

nullam vnquam Polyglottam tanto æmulandi Luſcinias Canariasque ſtudio arſiſſe, quam illum exiſtimauerim, hoc diſcrimine, quod vinci ſe crederet, etiam cum vinceret. Corporis motus omnes ad modeſtiam, verba ad innocentiam cõſpirabant, nihil in his inconcinnum aut abundans. Natam ipſi virtutem crediſſes, vſque adeò eidem obſequebatur in omnibus: quæ ſi immortalitatem in terris meruiſſet, adhuc viueret. nunc cœlum rapuit ætate iuuenem, probitate ſolâ maturum.

Stanislaus deinde Koſtka illuſtris inter Polonos familię, horti illius decus & nobilis Luſcinia ſuauiſſimo virtutum concentu Hetærio placuit. Ab hoc Viennæ excultus pietate ac literis, nihil elegantius quam Partheniæ laudes concinere auditus eſt. Hanc Rhetoricâ ſcribendi concinnitate ornare frequentius, ieiunijs, crebroque Synaxeos vſu compertus venerari, fratre minas nequicquam, verberaque intentante, Dilingæ à Caniſio ad virtutis explorationem receptus, inter Conuictores mediaſtini ſeruitijs alacriter functus eſt. Sub quæ Romam delatus, in terrigenis Angelus vixit. Orator ad Superos tam facundus, vt finem non faceret; tam vehemens, vt perſuaderet, etiam pro alijs deprecaturus omnia; tam ardens vt frigidâ adhibitâ cordis incendium mitigandum fuerit. Denique præmiſsâ per Laurentium Romanum Athletam ad Partheniam epiſtolâ breui ad Superos Legatus abijt. Vbi merito ſtupent in terris reperiri Canarias religionis inſulas, vnde auiculæ tam dulces, ſua-

delæ adeò mirificæ prodeant. Nimirum hac lege Poëtis consentiam, vt Mundum Mare esse asserant; si has esse *Mundi Sirenes* velint, & Nautas Cœlites; cum hoc elogio:

Superi dulcedine capti.

Ceterum Stradas, Bergmannos, aliaque syluæ huius religiosæ in ipso adolescentiæ vere eximia accenserem decora, nisi in vesperam dies defluxisset, & quiete necessariâ post tantam opus euagationem crederem. Illud plerisque illis magna æmulatione aliorum virtutes imitantibus pro epilogo accinam, quod Philomelæ inter concertationem cum Citharœdo susceptam exspiranti competit;

Tua te victoria fregit.

Ita differentem accessit officij causâ Calotherus alter filiorum locis æstiualibus præfectus, qui parentem cum hospitibus suas ad ædes inuitabat. Huic Etesius nosque vnà obsequebamur, sed viâ leniter flexâ, quam totam iucundis allusionibus ad visa per syluam auium ludicra impleuimus. Vt nimirum Religio optima esset pullorum mater, quæ lactando, expansisque velut alis fouendo, & necessitati, & periculis opportunè interueniret. Hactenus inauditum esse aut auium, aut Religiosorum aliquem domesticis angustiis ac fame succubuisse. Quam deinde maiores aptam indolis morumque cantilenam minoribus præeant, quam hi peritè assequantur. Quanta vitæ concordia, in quâ humanæ felicitatis harmonia posita inprimis sit. Deniq; arcem Religionis tribus columnis nixam suspensamque haud procul

obſeruauimus; ſed tenuior iam circa nos dies prouectioreſque erant tenebræ, quam vt eius dignitatem oculis aſſequeremur. Narrabat verò Eteſius, Aloyſij, poſtquam hanc arcem luſtrando obiiſſet, Religionisque ex illa nobilitatem didiciſſet, dictum fuiſſe. Mirari ſeſe totum mundum ad hanc non confluere, ita illam omnibus abundare deliciis. Porrò, inquit, ne omnium huius loci rudes abeatis, hoc Gonzagę & Koſtkæ adoleſcentum ſepulchrale monumentum obſeruate; ſimulque Mnemonem aduocauit, vt ad fugitiuos iam ſolis radios perlegeret:

HEM VIATOR
QVISQVIS BONIS DELECTARIS AVIBVS:
PHILOMELÆ FVIMVS,
ARGVTVLÆ, SVAVILOQVÆ, AVREÆ VOCIS ANIMÆ,
MEL MERVM IN VIRTVTVM HARMONIA OMNIVM.
SI GENVS NOSTRVM QVÆRIS:
CVNAS, QVALES PHOENIX; PARENTES, QVALES AQVILA
HABVIMVS, NOBILIS AVLÆ PVLLI NOBILISSIMI.
CECINIMVS
CVM MVNDO DISCANTVM, BASSVM CVM RELIGIOSIS,
ALTVM CVM COELITIBVS,
TENOREM CVM OMNIBVS.
IN HAC MVSICA,
TAM NOBIS DISPLICVIMVS, QVAM PLACVIMVS SVPERIS;
OMNES NOTAS PROBITATIS, VITIORVM FVGAS
PROBE TENVIMVS.
VERBO; ITA PRÆCINVIMVS,

VT


VT SI IMITERIS HOS MVSICOS, PECCARE NEQVEAS.
QVOCIRCA, NE INGEMISCITO:
MORTEM INTRACTABILEM NOSTRA ARTE TRACTAVIMVS,
FERREAM VOCE MOLLIVIMVS.
NE INGEMISCITO:
PERDIDIMVS IN FELICITATE MISERIAM,
IN VITA MORTEM, IN COELO TERRAM.
PHILOMELÆ ADHVC SVMVS.
SED QVÆ LIBERTATEM ADIIMVS DE CARCERE,
ET DVLCIVS NON CAPTÆ CANIMVS.
TV SEQVERE, ET SVCCINE.

Hinc ad Calotheri domum hoſpites abſceſſimus, cum Mnemon aliud Romæ abs ſe lectum Epitaphium non inelegans de memoriâ exprompſit, quod Philomelæ de auiario Domitiorum poſitum fuerat, ac denique hoc Epilogo claudebatur.

Vale & vola per Elyſium.



Solsequium, Phœnix, et Apus cœlum aspicit: vnde
Rex tua vis, Martyr flamma, iubarq; Sophe est.



AESTAS
ANNI SECVLARIS SOCIETATIS IESV.

IVNIVS,

MONARCHICVM REGIMEN exhibet, & Superiores, qui regendi prudentiâ, & virtutum omnium exemplo, inferioribus præluxêre.

ILLVXERAT dies altera exſpectationi meæ nimiùm tarda, cùm ſomno experrectos officij gratia Eous Calotheri aulicus ad lauacrum deduxit, oppidò ridiculum. Stabat in auguſtiſſima Solis aula Cancer Iunio Menſi ſacer, homini par corporis mole, quique in genere ſuo Gigas haberi meruit: hic chelis poſterioribus in ſublime nixus, vnâ ſuperiorum mantile, alterâ mallubium implexum ſuſtinebat; os eius pro gutturnio aquæ laticem in manus lauantium exſpirabat. Riſimus affatim ſchema tam inexſpectatum. Cùm Eous docuit in Orientali Oceano hunc nuper memorabili ſtratagemate in captiui-

ptiui-

ptiuitatem abstractum: piscis exuuias huic modo officio deseruire, vt & mortuus ille aquas sorbeat, ac reuomat. Cęterùm integros istic loci exercitus Cancrorum in nautas & nauium instaurandarum operas sæpemodum mouere; necessarium vti sit, vallis excitatis, dispositisque excubijs tam infestum hostem amoliri: quem tanti esse roboris didicimus, vt hominem quemcunque chelis correptum obtruncet illico, ac Neptuno immolet.

Euf. Nier. histor. nat. li. 11. c. 3[?]

Isthac igitur Litholeon, inquit, opus est arte, vt officio assuescant suo, seruitio videlicet hominum, cui olim nati sunt. Scitè Eous apposuit: Rebellionem animãtes à mortalibus, eandem contra Diuos auspicantibus, didicisse; obsecuturas rursum, si hominem ad obsequia redeuntem nanciscantur ducem. Probasse id animantium diuersas nobilissimæ familiæ viris. Petro inprimis Canisio, Germanis post cœlicolas notissimo: siquidem cupienti, dum prostratâ appetitione langueret, esum auiculæ; hæc frustra ab alijs quæsita, vltro ad manum per fenestram adfuit, obsequi ac mori iuxtà promptissima. Iosephus Anchieta, vt æstum molestissimum ab itineris comite Leitano profligaret, aues proximæ arbori assidentes, accersito sociarum agmine, adesse, atque euntium capita inumbrare iussit: quæ accepto imperio obsecutæ, densatam auium nubem illis contra calorem obtegendis aduexere, nec nisi iussæ, post leucæ vnius decursum, ab officio recessere. Nonnunquam accitas digito aues excipiens Deo laudando melodiam auspicari iussit; ac si

Euseb. Nier. histor. nat. l. 1. c. 21.

In vita eiusd. I Anchietæ & apud Nier.

deinde

deinde lubuiſſet, poteſtatem rurſus abeundi fecit. Obie-ctam in itinere viperam lethaliter noxiam, omnibus in fugam effuſis, ipſe conſidens, ad manus ſinumq́ue admiſit longa oratione Barbaris inculcans, obſequenti Diuis homini obſequi omnia. Simiæ aliam ſui ordinis tumulare iuſſæ, paruerunt. Pantheræ conſpectæ procul, propiùs ſub illius imperium adſtitêre, vt cupidis videndi gratia fieret. Mare exæſtuans quieſcentem litore Ioſephum cum ſocio intactum reliquit, vndis circum in murorum ſpeciē aſſurgentibus; quę, cùm aſcenderent, ſocij ſubſequentis ita veſtigia preſsêre, vt is ante Ioſephum, ceu tutum ſe munimentum, reciperet. Xauerio denique (vt in quibus cœpi brutis finiam) Crucifixi effigiem tempeſtati ſedandæ in mare proiectam cancer officioſus reſtituit. Nec mirum id factum homini obſequendi ſtudioſiſſimo, qui vnica I litera ab vltimis Indiæ oris, negotiorumq́ue affluentium curſu, ad Europam, quam exultabundus reliquerat, rurſum abſtrahi potuiſſet. Sibi imperare qui poteſt, huic parent omnia. Imperium ſui, hominisq́ue in hominem, probè adminiſtratum, plus laudis habet ac meriti, quàm quod in animantes exercetur. hoc ſtaret inuiolatum, niſi illud turbationibus intercidiſſet. Tam ſapienter argutantem Eteſius ſuperueniens à nobis auertit. Ab hoc ad proximos campos inuitati, conceſſimus. In meridiem locus vergebat muro accinctus, qui hos in frontis aditu verſus præferebat.

Saturnum mellis inuentorem Antiqui dixere. Alex. ab Alex. l. 3. c. 22.

Nuper inauratum cœli dum filius æuum
Conderet, has tenerum iußit habere domos.
Accreuit puer, & multo iam ſplendet in auro.
Hunc nutrix habitat diua Meliſſa locum.

Ænigmatici videbantur, & de induſtria obſcuriores, ne primo aſpectu videremus omnia. Paucis tamen Litholeon hanc coniecturam adferebat. Quid ſi pro æuo Hetærium iam vnius ſeculi hominem interpretemur, qui multâ virtute adoleuerit in Partheniæ nutricis curâ ac ſinu? fuerunt enim, qui illius ſub pallio latitantem Hetærium vidiſſe ſe aliquando memorant. Sed tropicè & ad mores hoc quidem, dixi: ceterum nihil hìc aliud proponi arbitror, quàm aureum Æuum Saturni (quod illum Hetærio contuliſſe dono vidimus) inter apes, quibus delectetur, educari. Poſtquam deinde ſubijmus locum, Oleaſter atque Amygdali in ipſo hortorum campo ſparſim apparebant.

Virgil. de Apibus.

——" *Et tenuis fugiens per gramina riuus*
" *Hæc circum Caſiæ virides, & olentia latè*
" *Serpilla, & grauiter ſpirantis copia thymbræ.*

Denique Thymi & Origani flores, alięque æſtiuales apum deliciæ. Per iſtam pratorum aream latè redolentem diſtributus apum exercitus pulcherrimis excurſionibus vagabatur. Hymettum Atticæ, aut Hyblam Siciliæ hîc mihi non fictè imaginabar. Totus campus vocalis, ac ſtreperus, & odoris ſuauiſſimi quaquâ aſpirantis plenus. Labor vbique, & confuſiſſima, ceu in vrbium prædatricibus copijs, videban-

tur

tur omnia. Ne vos, inquit Calotherus, iſtâ opinione aberre-
" tis. [a] Rempublicã habent, conſilia priuatim, ac Duces grega- Plin. lib. 11.
" tim, [b] & quod maximè mirum ſit, mores habent. nihil nouê- nat. histor.
" re niſi commune. vnam omnes incolunt manſionem, vnius c. 5. Ambr.
" patriæ clauduntur limine, in commune omnibus labor, l. 6. Hex. c. 21.
" communis cibus, communis omnibus operatio, commu-
" nis vſus & fructus eſt. [c] Et vt operis ordinem admireris, datur Plin. l. 11. nat.
" quies in matutinum, donec vna excitet gemino aut triplici histor. c. 10.
" bombo, vt buccino aliquo. Tunc vniuerſæ prouolant: aliæ
" flores aggerunt pedibus, aliæ aquam ore, guttaſque lanugi-
" ne totius corporis; quibus eſt earum adoleſcentia, ad opera
" exeunt, & ſupradicta conuehunt; ſeniores intus operantur.
" ſunt enim intus quoque officia diuerſa; aliæ ſtruunt, alię po-
" liunt, aliæ ſuggerunt, aliæ cibum comparant ex eo quod al-
" latum eſt: neque enim ſeparatim veſcuntur, ne inæqualitas
" operis & cibi fiat & temporis. Ceſſantium inertiam notant,
" caſtigant: nullę inter opera ſpurcitiæ iacent. Cùm adueſpe-
" raſcit, in alueo ſtrepũt minùs ac minùs; donec vna circum-
" uolet eodẽ, quo excitauit, bombo ceu quietem capere im-
" perans: & hoc caſtrorum more: tunc repentè omnes con-
" ticeſcunt.

Excepit dicentem Eteſius. Formam, inquit, hic quandam Hetærianæ familiæ, munium, ac operum, quæ in ea vigent, animaduertere, vobis licebit. Illa enim quamuis locorum, ingeniorumque varietate toto ſit orbe ſparſa; adeò tamen laboris, quietiſque tempora habet communia, tenui

mensarum apparatu, victuque parabili, vitæ totius, studiorumque ratione conspirat; vt cùm multitudinem vides, vnitatem admirere, pluribus corporibus vnam esse animam existimes. Vna ad laborandum hora omnes excitat; vna ad quietem componit: partiuntur operum molestias, illisque difficultatem adimunt adhibito ordine. Senioribus ferè domesticorum munium, familiæque administrandæ negotium est. Adolescentioribus campus ingens faui, mellisque legendi aperitur. Iucundum Superis spectaculum faciunt, cùm effusi portis ad nosocomia alij, alij ad captiuorum ergastula: hi ad pœnitentium tribunalia; illi ad morientium agones: multi ad literarum Gymnades, nec pauci ad concionum exedras digrediuntur. Diuersæ profectò diuersis in floribus apes. Vespera denique omnes reuocat; par mensa, par quies excipit: nunquam otiosi etiam in otio; ita omnia ex præscripto ad virtutem exequuntur. Nemini ferè tam cara est quies, quin laborem imperatum accipiat; tam pertinacis propositi labor, quin & ad imperium deponat. Agunt atque aguntur; non ad impetum, sed rationem. multisque obsequi, quàm iubere iucundius accidit. Deinde Calotherus, Mirum illud in apum Imperatore videri, quòd aculeo nullo in subiectam plebeculam (licèt illo fortassis non careat) vtatur; sed solâ armatus maiestate ac clementiâ omnia vnus administret, & facilitatem popularis obedientiæ experiatur. Istud verò etiam obstupescendum, quòd cùm languentem Regem foueant, periclitantemque defendant, im-

probum

probum tamen officio deturbent, regiamque destruant, ne malum serpat, ac seditionibus Respublica peruertatur; ita vt neque precariâ potestate, neque impunitâ malitiâ Rex eis præsit.

Laudatissimum, inquit Etesius, regnum, in quo, vnus ita summam potestatem obtinet, vt & æquitate illam tueri, & scelere possit amittere. Vbi in multos imperium diuisum est, vix consistit æquitas: nimia aut facilitate, aut seueritate peccabitur. Multi multa ignoscent, vt sibi ignoscatur; vel certè alienam seueritatem, quàm par est, inclementiùs vindicabunt. Vnum faciliùs quàm plures mediocritatis studiosos reperies. Popularis denique amor atque reuerentia, vbi delectus abfuerit, vni faciliùs impenditur. Hoc apes natura, Hetærium ratio docuit; vt proinde duo illa, quæ Remp. potissimum cum laude administrant, clementia ac prudentia, & quæ beatam faciunt, concordia atque obedientia apud illum reperiantur.

Cui certè regendi felicitati prouidentiâ solerti prospectum est; cum & vni ab Hetærianis perpetua imperandi potestas est attributa, & multi ad subsidiariam operam destinati, ceu manus atque oculi plures vni capiti subseruiant. Quod quàm illi cautè ad excludendos infames regnorum scopulos, & peruulgata imperiorum pericula præstiterint, operæ pretium erit cognoscere.

Principio Hetæriani ex amplissima familia, vnum aliquem indictis Comitijs ac suffragijs conspirantibus eli-

gunt, exploratæ virtutis & compertę prudentiæ hominem. In qua electione, illud inprimis sedulâ accuratione prouidetur, vt laudatissimi ex orbis vniuersi Prouincijs viri præscriptum in locum conueniant; illud grauissimis sanctionibus cauetur, ne qui ambitionis studium huc adferant, & meritis suis aliorumve imputent, quod virtuti atque inprimis demissioni debetur. Seria hic in cuiusque vitam ac mores perquisitio instituitur, tantò acrior, quantò quisque proposito honori propior esse existimatur: iuratâ fide dantur accipiunturque virtutis vitiorumque perspecta de alijs testimonia, & tridui deliberatione cum Deo inter preces institutâ, consilijs etiam inter homines agitatis, denique ad eundem omnes locum admittuntur. Vnde solemni Diuorum apprecatione præmissâ, & cohortatione sedulâ, ne quis alio quàm diuinæ gloriæ zelo ad tantæ rei definitionem accedat, omnes ad sententiam scripto proferendam in conclaue destinatum secedunt, quam, vti pro se quisque tribus isti officio adiuratis affert, ita iuratus ipse propalam confitetur hoc se literarum suffragio eum designasse, quem huic muneri inprimis censuerit idoneum. Quod si, vt in tantâ hominũ frequentia pronum videri potest, nemo vnus maximam suffragiorum partem consecutus sit, alia ferè compromissionis initur ratio, quâ trium aut quinque communibus votis electorum definitioni acquiescetur. Ceterum in electione dissidentibus exitus de loco ac cibus eâ lege denegatur, vt aut absoluant controuersiam, aut suo isto

car-

carcere contineantur. Ita vijs omnibus ac rationibus proſpectum eſt, vt præſtantiſſimum aliquem tantæ familiæ Moderatorem nanciſcantur; vt talem, qui diuerſarum gentium ſtudia, mores, ingenia quadam regendi facilitate ita attemperet, ne membris inter ſe diſſidentibus corporis totius compages diſſoluatur: qui præcipuarum ipſe rerum rationes inire, homines, loca, officia cognoſcere, ſingulorum ipſe curas atque difficultates auſcultare & expedire poſſit: qui denique in orbe perinde ac in domo Paterfamilias verſetur.

Ne tamen tanto rerum adminiſtrandarum ponderi vnus ipſe ſuccumbat, quatuor quinoſve ſibi adiunctos habet ſapientiæ exploratæ viros, quos Aſſiſtentium nomine in officij onerisque partitionem vniuerſalibus ſuffragijs deſignatos admittit. Horum conſilio ad grauiora quæque expedienda vtitur. Id enim inprimis in huius familiæ adminiſtratione cauetur, ne quid inconſultò, ne quid operi deſtinetur priùs, quàm ad ſapientum arbitrium, ac plurium ſententias exploratum ſit. Vnde receptâ iam conſuetudine non modo Generalis Demarchus, ſed & Toparchæ ceteri atque inferiores Præſides, vbi ambiguum ſeſe negotium oſtenderit, ad concilium quamprimùm ac deliberationem confugiunt, quæ abſque partium æmulatione, pari facilitate, quâ inter Liberos Patremque, inſtituitur, ac denique eius definitione abſoluitur, cui reliqui parêre didicerunt.

Aſſiſtentibus porrò alter à Secretis, à generali procuratione

tione accedit alter; viri in paucis circumſpecti, & boni cõmunis ſtudioſiſſimi. Ille literas, quibus toti orbi Demarchus imperia, aut conſilia diuidit, ſolerti ingenio ac ſtudio expedit; hic alijs diuerſorum populorum curis negotijsque expediendis diſtinetur; eodem vterque adſtrictus loco, quo ipſe Demarchus præſidet. Accedunt in ampliſſimæ familiæ gubernatione Prouinciales Archontes, quibus minores alij locorum Præfecti ſubeſſe conſueuêre. hi omnes conceſsâ ſibi à ſummo Demarcho poteſtate imperant, non perpetuâ illâ quidem, quâ ipſe omnibus præeſt; ſed breui plerumque atque ad nutum deponendâ: pulchro ſuperbiæ ac tyrannidis remedio; cùm qui imperat, imperium exſpectat, & non ignoret ſibi ſubditis aliquando parendum. Poteſtas verò tanta vnicuique eſt, quantum ſua quiſque virtute ac regendi prudentiâ meretur. Compertæ fidelitatis atque induſtrię viro par exiſtimationi conceptæ potentia creditur, atque arma viribus commenſa: inſigni ad virtutem omnibus inuitamento, cùm fide aduertant ſe fidem mereri.

Ex quibus omnibus obſcurum non eſt, egregijs iuſtitiæ adminiculis, contra pleraque regnorum vitia Hetærianorum imperium ſtabiliri; cum nil niſi virtutibus deferatur, ijsque non ad ambitionis ingenium fictis atque compoſitis, ſed multorum calculo exploratis; quô probatur ipſe ſupremus omnium Antiſtes, vigilantiſſimis expoſitus, Aſſiſtentium præſertim, oculis; quibus &, comperto ſcelere, comitiorum conſcribendorum eſt facultas, & ſuffragantibus

tibus reliquis officio, atque adeò familiâ Antistitem exturbandi potestas. Hoc etiam calculo ab ipso Demarcho ceteri omnes, qui cum imperio sunt explorantur, siquidem idoneos, nec paucos vitæ cuiusque testes ante auscultat, quàm rebus cum potestate gerendis eos præficiat. Neque verò tanti est suâ quandoque opinione etiam post multam curam aberrasse, cùm omnis potestatis frena manu suâ moderetur, ac laxatam restringere, vt lubet, possit; aut etiam auferre concessam. recalcitrasse, vt rarum, sic impunè nemini fuit. Ita, & vnius imperio administrantur omnia, & qui omnibus præest, subiacet simul omnibus, ac cum iis leges, onusque eisdem obsequendi participat. curis, non opibus ac prærogatiuis libertatis affluẽtior. Huic igitur illud elogium acclamabimus, quod Apum Princeps ramo acquiescens, stipante atque adhærescente circum toto vulgi examine, meretur.

Onerosus honos.

Quàm verò multis, quamque robustis virtutibus opus sit, quibus velut anchoris in tam vasto mari contra omnem impetum firmetur, nemo ignorabit. Enimuero hoc in tantarum rerum Administratore inprimis necessarium est, suarum vti affectionum Dominus sit; vt naturæ exerrare conantis impetum sub imperium cogat, & cupiditates habeat parere assuetas. Etenim experientia nos docuit, quantum dominandi amor, libertatis illecebra, negotiorumque à mentis nos custodia abducentium ardor ad peccandum momenti adferant. Præceps vindicta, æqualium odium, in-

uidia superiorum, Principes viros facilè expugnant: hæc in se qui absque imperio patitur, imperio idoneus non est. Sed his omnibus Hetærius vitiorum assultibus obiecit inexpugnabile virtutis munimentum, quo se ij, qui cum imperio sunt, facilè tuentur. Ex hoc auaritiæ, luxusque facultatem, opes sustulit: Magnatum priuilegia & honoris prærogatiuas, inuidiæ materiam & ambitionis, amouit: Legibus subiecit ipsum legis præsidem, libertatis freno. Denique insignem quandam ad virtutem necessitatem imposuit, cùm, vt supra memini, subditis legitimo concilio coëuntibus potestatem fecit in improbos eius mores animaduertendi, officioque atque etiam familiâ exturbandi. En vt in Hetærio vobis Apes, in Apibus Hetærium ostendo.

Obseruate nunc in huius Reip. moribus clementiam. Arma penè omnia abiecerunt, vt nocere ij, qui præsunt ceteris seueritate vix possint. An fortassis illo permoti, quo olim Diogenes Alexandrum propè exarmauit, Timidorum esse arma ferre? an quòd inhonestum sit irasci, inhonestius iræ persuadenti obsequi? Nimirum satis armatus est, qui æquitate pro telo vtitur, & causę fauentes Superos nactus est. Patri hìc cum filijs res est: audiuntur querelæ, & adhibito solatio mitigantur: discordiæ pacis turbantur consilijs: desideria si iusta, accēduntur, si iniqua, extinguuntur, spongiâ magis quàm ferro: nemini aut sua obest simplicitas, aut patrocinatur nobilitas; æquali omnes fauore teguntur: circumspecta clementia discrimen nullum facit. Omnium hic

hic anima eſt qui omnes moderatur; & ne quiſquam metuat, aculeum non habet. Talem adumbrauit Regem, qui dixit:

" *Signabatur apum ſparſim toga tota figuris.* Mant. in exhort. ad inſub.
" *Cumq́ apibus regnator apum fulgebat in oſtro*
" *Pictus acu, ſcriptumq́ notis epigramma Latinis,*
" Rex mucrone caret.

Quàm hoc imperium ſubditi prono obſequendi ſtudio amplectantur, hactenus ſi nō ratione, tamē experientiâ huius familiæ conſtitiſſet; Ita omnes ſupremi capitis motu ac beneplacito reguntur. Illud Xantippi Carthaginienſium Ducis credunt atque vſurpant. Malle ſe ſub Rege apum militare, quàm formicarū exercitum ducere. Hæc verò manſuetudo inſigni prudentiâ attemperata nulli facilè deſipit. Enimuerò intelligunt, quanti interſit, clementiâ affluere, non diffluere; facilem eſſe, ſed intra virtutem; ſiquidem vitijs iraſci aut nolle, aut non poſſe, irâ peior eſt vitiorum indulgentia. Proinde actum ab Hetærio primum, (quod plurimum momenti ad facilem adminiſtrationem obtinet) vt omnis intelligat, ſuo ac familiæ totius bono quemque dirigi: nihil inuidiæ, nihil offenſæ, licèt datæ, indulgeri: Imperia vt conſilia dari, quibus ad emolumentum vtatur: patere iuſtis rationibus effugia, nullamq́ue hoc in foro, niſi iniquam, exceptionem reijci. Ita nimirum boni communis rationes mirificè accreſcunt: virtutibus, ac concordiæ inprimis accedit: vitijs occaſio detrahitur, & periculum: propagatur

toto orbe fides & pietas: & in necessitatem Reip. Christianę præsidia suppetunt, atque vt verbo absoluā; qui sub Apum Rege versantur, *Mellificant.*

Orarchon porrò, qui curiosiùs prata & flumen, quo non procul stetimus, oberrauerat, sollicitâ voce manibusque imperabat silentium, sibique adesse propiùs nos orauit: Deinde auium, quæ istic pascebantur, copias iussit obseruare. Magno illæ numero per prata effusæ, quieti partim, partim etiam pastui vacabant; nec difficilis nobis coniectura ex pedibus aut collo erat, Grues esse. Pax alta videbatur: ita nullo sollicitudinis argumento vagæ ibant. Sed ecce politiæ ac solertis custodiæ egregium specimen, vna volucrum tumulo insidens sinistro pede nixa, dextero lapillum suspenderat; non eo opinor consilio, quo apes contra ventorum impetum lapide sese onerant; sed ne vigilanti & pro aliarum securitate excubanti somnus obreperet. Aliud verò non minùs obuenit spectantibus iucundum: cis fluuium hortum alluentem Ceruorum grex sese in pastum effuderat; hic nostro aduentu trepidus fugam circumspectabat, cumque expeditior nulla quàm per aquas effugio pateret via, validissimus omnium vndas experitur, paremque se fluctibus, nando aliquantulum progressus, ostendit: deinde redux alium post se inuitat, qui suis cornibus prioris incumbens tergo, post se alteri idem officium præstitit: Ita alij atque alij insecuti flumen incolumes transmisêre. Adhuc Etesij hærebat oratio, quàm tantò altiùs animo combibi,

quòd

quòd Hetærianorum primores gruibus, ceruisq́ue perquam cogitarem ſimiles. Illis, quòd ſolerti curâ vigilijsq́ue ſubditorum ſaluti intenderent, & quieti aliorum ſua conſulerent inquietudine. His, quòd imbecilliorum onera, difficultatesq́ue communibus humeris ſupportare, atque extra omnem periculi aleam traducere pro viribus exiſtimentur, honore ſuo onerati.

Propiùs æſtiualem domum ventum erat, ad cuius veſtibulum platanus arbor ſyluam propè ſola ingenti frondium luxuriantium ambitu confecerat; quò tunc fortè Paſtor cum agnellis, æſtûs vitandi gratiâ, confluxerat. Quem vbi Orarchon conueniſſet, ſtrictis interrogatiunculis laceſſebat. Quid vmbras, latebrasq́ue ſectaretur? hoc tenebrionum eſſe, & virtutis rebellium. Virtus, inquit Paſtor, tutiùs latet, multorum illa inſidiis vitiorum expoſita eſt. præſidium contra hæc optimum eſt, non patuiſſe. Sub ſterili vmbrâ, Orarchon, inquit, parum ouiculis prouiſum eſt. Multum enimuerò reſpondit: hìc collecta ruminantur gramina & in ſubſtantiam tranſmittuntur. quietem & æſtiui caloris vmbraculum digeſtio amat. Denique collaudato hominis ingenio Orarchon illum cum Xerxe in comparationem traxit. Siquidem is æſtate profectus cum exercitu ter vicies centenûm ſeptingentorum & ſexaginta millium, lixis ca- Herod. l.7.&
lonibusq́ue demptis, iuxta Sardes ſub vnius Platani vmbrâ Ælia. l.2.c. 14.
cum tanto hominum numero acquieuerit, qui in cibum diurnum ſexcenta millia modiorum frumenti impende-

ret. Quam deinde hoſpitalem arborem auro, argentoque veſtitam immortalium militum vni ſeruandam tuendamque commiſit, ne tanti beneficij gratia ſubitâ obliuione intercideret. Ceterùm Eteſius parem huic arbori Religionem à Loiolæo quodam Principe plantatam aſſerebat, quã ſubinde Laynius, Borgia, Mercurianus, Aquauiua egregiæ ſolertiſque operæ hortulani, excultam ad inſignem hanc amplitudinem educauerint, quæ, hâc licet temporum iniuriâ, millia circiter octodecim ramis latè per orbem effuſis complectatur. Illa verò ne quod annis labentibus detrimentum accipiat, immortalibus magis legibus quàm legionibus defenditur; neque deſunt, qui pro illius tutela, vigili induſtriâ excubant, atque ijs hanc armis, quibus cum imperio vti ad defenſionem ſunt iuſſi, propugnant. His & indefeſſi Excubitoris & naui Paſtoris teſſera debetur

Vigilantia.

Quis non huius Arboris, id eſt Religionis, vmbram ambiat, ſub quâ tot vallata cuſtodijs eſt

Tuta quies

Non modò vni Perſarum nationi, ſed orbis populo, Italo ac Germano, Ibero & Gallo, Luſitano ac Polono, Europæo & Æthiopi, Indo ac Braſilo, ipſi adeò Antipodum genti, quibus neque linguarum eſt commercium, neq; morum conuenientia, ne color quidem ac vultus idem; qui ſtudijs ceteroquin atque æmulatione populari inuicem diſſident? His tamen omnibus, vnâ ſub Religionis vmbrâ ac capite *tuta quies.*

quies. An hoc minus portentum naturæ est, quàm accubare agnum lupo, aut leonem tigridi? Miraberis profectò hanc diuersissimarum nationum ad nutum vnius, ceu ouicularum ad pastoris vocem, pendentium conspirationem, si vel vnum Germaniæ angulum Religionis, atque inprimis Hetærianorum hostem, tot tamq; diuersissimis studijs feruêre conspexeris, atque in ijsdem ne dicam vrbibus ac ædibus, imò & cunis natos, fidei morumq; dissensione pugnantes, Rigidos, Molles, Liberos, Adiaphoros, Vbiquetarios, Pneumaticos, Clancularios, Manifestarios, Tropistas, Metamorphistas, Catharos, Enthusiastas, Pacificos, Baculares, Tacentes, Inuisibiles. Hi & mille alii tot sententiarum quot capitum homines, non ex orbe toto, sed paruâ Germaniæ insulâ contrahi possunt Ruthlei vnius ac Luciani asseclæ; vt ipsi adeò ipsorum lecti, in quibus vir atque vxor sæpè religionis studio diffident, hunc titulum mereantur, *vix hic tuta quies*. Quæ certè res tantò illustriorem reddit Hetærianorum concordiam, quantò orbis est insulâ maior, amor odio, concordia discordiâ melior; quanto deinde maius est hominem vnum omni imperare orbis nationi, quàm ne suę quidem Ruthleanum aut Lucianistam aliquem domui posse. Maneat igitur Hetærianorum Primoribus hæc laus *vigilantia*, maneat subditis *tuta quies*.

Surgebat haud procul Monumentum Heroum istorum honori perpetuæque memoriæ à Mnemosyne excitatum. Opus, cùm accessimus, admirandum visum est. Mons erat mar-

marmoreus, labore & induſtria ſingulari in principalis arcis formam exciſus, quæ peruio opere, hinc atque inde ad lucem excipiendam patebat, varijs in ſe conclauijs diuiſa, elegantiâ ac ſoliditate pari ad æternitatem quandam vti videbatur inſtructa. Sinarum Regis palatium aliquod hìc mihi videbar obſeruare. Quem memorant excauatum de marmore montem ad tam vaſti ædificij amplitudinem exhauſiſſe, vt præter varia cum aulis cubicula etiam piſcinas ac labyrinthos complectatur, in quo loco Regi inſtructiſſimè epulanti mille annorum millia ſatellites adprecentur. Totidem & nos velut ad æmulationem Hetærio precati aulam principem ſubiuimus. Hos etiam Litholeon in veſtibulo effundebat verſus.

Trigaut. in hiſt. Sin. li. 4. c. 6.

Viue diu, felixq́ tibi decurrat Hetæri
Annorum ſeries, & quod tibi venerit vltro
Viribus adijciat, creſcat virtutibus æuum.

Calotherus tantiſper quiete interpoſitâ contractum ex Sole ardorem mitigare iuſſit. Tum aperto ingenti iuxta armario, Hem, inquit, famuli hauſtum ſiti leuandæ miniſtrate. ſimul velut ad imperiũ menſa ſeſe ex occulto loco propalam ad nos promouere cœpit, ferculis nonnullis, bellarijſque inſtructa; illius orę, hinc atque hinc ex oppoſito, ficti de metallo adhærebant Ganymedes, qui dexterâ Oenophorum, ſiniſtra craterem præferebant, quem nõ multo poſt, quàm ambulatorium hoc epulum conſtiterat, libratâ in altum dexterâ, vino explebant, extenſaque deinde ad obſequium læuâ ho-

ua hoſpitibus porrigebãt. Huiuſmodi olim menſa Iarcham delectatum ſummopere memorabant. Delectabar & ego tam egregio antiquitatis exemplo. hi, dixi, miniſtri rara pollent virtute, obſequuntur ad nutum, & gratuito: quanquam Artificem tam promptæ obedientiæ directorẽ magis quàm opus admirer. Porrò pocillatorum iſtorum liberalitate tantò vtar libentiùs, quantò faciliùs iiſdem ſymbolum perſoluero. His non mediocriter recreati, ad ſculpturas deinde in aulæ columnis nobiliſſimo celte exaratas, ſparſiſque coloribus nouam quandam gratiam ſpirantes, auidiſſimè abripimur. In media columna, quam reliquę circum ſequebantur, orbem pedibus ſubiectum calcabat vir ſpecie auguſta, quæ quandam animi maieſtatem vultu toto explicaret, quamque caluities per verticem in frontem effuſa, magis etiam quam pro more, auxerat. Hinc illi militare baltheũ, nobile ſagum & gentis inſignia; Inde centonem neſcio quem, compedes, crucemque ad latus artifex appoſuerat; ita tamen vt illa auerſari lęuâ contemptim obiectâ, hæc admota altera manu, amplecti crederetur. Sequebatur non ignobilis multitudo ſenſim in eundem orbem enixa; quam, neſcio quod, latrunculorum vulgus trepidâ fugâ declinabat. Cœlum adhæc multa ſtellarum luce illuſtre capiti procul impendebat, quod obliquato vultu, velut eodem cum terra obtutu, deſignabat, oculis tam igne ardenti flammantibus, quàm aqua exundante tumidis. Vox ab ore exibat,

Phil. Apol. l 3.c.8

Quàm ſordet mihi terra, dum cœlum aſpicio.

Q In

In quæ Poëta nonnemo affixo ſubter carmine commentatus fuerat.

Heu nimis inſtabilis ſimulacra fugacia mundi!
Ingenio nimiùm lubrica terra meo!
Quam mihi ſordet humus dum vos, ô ſidera, ſpecto!
Sidera, deliciæ diuitiæq; meæ!
Ite nimis leuium fugitiua vmbracula rerum:
In vitium præceps vita, ſolumq; vale.
Lux obſcura nimis generis: ſubiecta poteſtas:
Infamis vitijs fama: inhonorus honor:
Dedecorisq; decor ſcopulus: Veneri apta venuſtas:
Bellica pax: riſus triſtis: amarus amor:
Spes exſpes: & opes inopes: concordia diſcors:
Ægra ſalus: methodus deuia: feſſa quies.
Ite nimis leuium fugitiua vmbracula rerum:
In vitium præceps vita, ſolumq; vale.
Hora tibi pennæ: velox, ſunt tempora, currus:
Sunt momenta gradus: deuia quæq; via eſt.
Is, traherisq;, volasq; ſimul. quid lubrica vita es?
Pluma leuis, velox nuncia, rapta dies.
Vincula libertas: conſtantia lapſus in orbe eſt.
Perditur in vitâ vita, vigore vigor.
Libera libertas: conſtantia conſtat in aſtris:
Perditur & mors in morte, dolore dolor.
Hic obſcura nitet virtus: demiſſio regnat:
Et contemptus honor: ſpretaq; fama placet.

Hic

Hìc decor est fugisse decus: despecta venustas
Gratia: tristitia est plausus: amaror amor.
Spes nunquam exspirat: diues splendescit egestas.
Hìc æterna manet parta labore quies.
Quàm mihi sordet humus dum vos, ô sidera, specto!
Sidera, deliciæ, diuitiæq; meæ!

Columna quæ ex alijs circum astantibus prior erat, hominem soli orienti intentum, illiusque radios patentibus oculis haurientem ostentabat. Ex ore diffluebant aureæ ad aures plurimorum, velut in concilio assidentium, catenæ. hoc solum Gallici habebat Herculis; ceterùm pro clauâ liber, pro leoninâ pelle toga sacerdotalis erat tritior, & pauperiem affectans. Nec procul inopum vulgus & languentium agmen huc spectabat, velut ad ducem & auxilium. Erat qui à latere Cardinalitium pileum, & tiaram Pontificiam obtenderet; sed auersantis manu repulsam ferret. Epigraphe subiectâ *Cum virtute quàm honore imperium malo.* Hypographicum hoc erat adiunctum.

Herculeas olim Galli finxêre catenas
Tempore LAYNII, *hæc fabula, vera fuit.*

Tertiam columnam vir obtinebat, multa illustrissimi sanguinis argumenta habens, forma regia & magnus animus toto vultu emicabat. Is tamen velut subitâ tristitiâ ictus, ab Sandapilâ (quæ imperiale cadauer iuxta continebat) in auersam partem oculos mœrentes deflectebat, ad quoddam Soterij istic propositum insigne; quod & manu dexterâ as-

ſecutus, velut incumbens ſuſtinebat, ſiniſtrâ Primorum Gandiæ arma gentilitia repudiabat. Inſcriptio erat

CAVLA QVAM AVLA TVTIOR.

Poëta nonnemo muto huic ſchemati vocem dederat:

Eloquar an ſileam? Tune hæc Iſabella, decoris
Effigies? formæ ſpeculum? ſiduſq; iuuentæ?
Heu mihi! quis prædo pretium detraxit honori,
Et frontis ſpoliauit opes? quæ vertit amoris
Illecebras Circe, ſolemqúe in nube recondit
O Charitum Venerumq; rogus, formæq; ſepulcrum!
Tam ſubitò in monſtrum (quanta eſt audacia Mortis!)
Vultus abit? flos ille iacet, ſqualetqúe liguſtrum?
Purpura derubuit? quoties tibi veris ocelle,
Gentis honor: quoties (fruſtra heu!) tibi viue precabar.
Nunc tamen immiti fluis extenuata procella,
Ludibrium deforme necis. nunc horror in vnam
Confluxit faciem, Niobes de Pallade facta es.
I nunc, & fluidæ momenta fugacia vitæ
Enumera Franciſce: cadit, cadit omne quod orbis
Gyrat in orbe ſuo. Leuis eſt quæ viuitur ætas.
Nil proprium quod fingat habet mentita venuſtas,
Pulchra breui, neglecta diu: diſcrimina ſortis
Mors æquat, cineréſque Ducum confundit egenis:
Nec ſua Therſitem ac Paridem diſcriminat vrna.
Sors eadem, par frontis honos. Felicior ille
Qui didicit iam dura pati, minuitque ferendo

Hor-

Horrorem lethi, fregitque labore dolorem.
Nempe docent aduersa mori. quem pluma thorusq́;
Quem lautæ fouêre dapes, durum ille feretrum
Sentiet, & pingues transcribet vermibus escas.
Nolo, nolo tuos mendaci fronte fauores
Munde fugax. nimium didici, nil hoste fauente
Sæuius. amplexus vinclum est; sunt oscula morsus.
Palpó venit, iugulumq́; petit. Vix perderet vnquam,
Ni sciret prodesse priùs. Quid, amabo, decores,
Aut quid honos? aurum? gemmæ? diadema? iuuentus?
Gemma gelu est, diadema iugum, breuis aura iuuentus.
Fumus inanis honos: qui nunquam pulcriùs ornat,
Quàm cùm ornatus abest. Age, carbasa verte, periclo
Proxima, nec vento nimium te crede sereno.
Fors nubes sub sole latet, placidisq́; sub auris
Naufragium tegitur. Prudens quam Nauta gubernat
Discit ab exemplo scopulis subducere nauem.
,,*Felix quem faciunt aliena pericula cautum!*
Dixit, & alterius sapuit piscator ab ictu.
Prima Sodalitium IESV *incunabula vitæ*
Auspicijs Diuûm, & famæ surgentis honore
Crescendo posuit. placuêre recentia Martis
Castra, vbi conceptæ tentet præludia pugnæ.
Hìc ego plus tacitas factis, quàm voce probatas
Posse reor laudes; nec enim Cicerone secundo
Hic opus est, vbi fatur opus: superauit agendo

Scriptoris calamum, meruitq́, columna videri
Tanta domûs, quantam virtus Induſtria finxit,
Indefeſſus amor recti, demiſsio ſimplex.

Quarta ex ordine columna virum complectebatur ſiniſtro adhuc pede tuguriolí ſeptis inhærentem, dexterâ cheloniten, quem velut viæ Ducem ſectaretur prætendentem, Cum gnomâ. *Oculata Sapientis manus.*

Eſt hic Indicæ teſtudinis oculus ex proiecto animali, pretioſa gemma, quæ linguæ ſubiecta, futurarum rerum ſecreta aperire creditur. In hoc lapide ceu baſi Soterij Regis nitebantur inſignia. Habitus modeſtus paupertatis religioniſque ſtudioſum haud obſcurè deſignabat. Adiecerat Poëtizans artifex Mercurij virgam ſerpente implexam, eiuſdemq́ue talaria, Cum addito Epigrammate:

Dignum Atlantiaden Superis prudentia finxit:
Nunc præ Mercurio MERCVRIANE *places.*

Sequebatur quinta, ac poſtrema cui opifex manum adhibuerat vltimam. Hanc homo obtinebat adoleſcens indolis iuxta ac nobilitatis raræ. Ducum Adriæ gentilitijs arma Soterij adiungebat, quæ iuxta adſtabat, Parthenia Regis mater. Inſertus columnæ ex oppoſito, velut ſpeculum, Achates, qui natiuâ varietate gratiſſimus, hinc in pratis flores, inde flumina ſyluarumq́ue amœna referebat. Epigraphe hæc media lapidem primâ parte, alterâ iuuenem ſpectabat. *Hunc varius color, illum ornat virtus.*

Ad pedem imaginis de excisâ nonnihil columnâ, fons aquæ

aquæ viuæ ſcaturiebat, hoc titulo inſignis.

Natus in Adriacis, Tiberinis notus in agris,
Conditus hoc tumulo Fons AQVA-VIVA *iacet.*
Viuit adhuc, ſophiæq́; fluentibus emicat vndis,
Hac nunquam potuit venâ Aqua-viua mori.

Sexta denique columna præclari, ſed nondum abſoluti operis, quanquam à perfectione abeſſe perparum videretur; tamen cùm prætensâ artifex cortinâ iam cœptam elegantiam texiſſet, quòd in oculos niſi ſuo coronatam fine incurrere nollet; verecundior eſſe quàm audacior malui. Quocirca tranſiens hoc eam voto dignatus ſum.

Tu pulcrum in reliquis nomen mereare columnis,
Et tua Romanis gloria creſcat agris.
Gloria, defenſæ qualem fert MVTIVS *Vrbis,*
Qui ſtetit ad poſitos viua columna focos.
Nomina conueniunt, tamen hoc diſcrimine laudis,
Ille columna Vrbis, tu magis Orbis eris.

Eteſius deinde rupem hanc marmoream nouis adhuc latiſſimisque Aulis excipiendis parem eſſe magnitudine aſſeruit; neque arcem hanc, vti induſtriæ, ſic raritatis eximiæ, paucis annorum periodis ad perfectionem abſolui poſſe: nihil tamen operæ atque impenſarum auctori deeſſe, quibus eam reddat ornatiſſimè elegantem.

IVLIVS

IVLIVS

DE ACADEMIIS, ET THEOLOGICÆ sapientiæ luce illustribus viris tractat.

DEnique aulâ ad campos propinquos excessimus. Sapientiæ hi olim consecrati erant, proindeque laureâ sepe à reliquis separati. Hos agros obeuntibus, Hemerus cum Leone Iulio Mensi familiari, cisium trahente, occurrit; quod nos Calotherus, honorandæ sapientiæ, & æstus vitandi gratia, conscendere voluit. Sed mihi penè omnis ad hoc spectaculum excussus animus, tanta tamq; ignea oculorum vis huic animanti inerat, vt vidisse, ac visum esse, ad terrorem cuiuis etiam fortissimo, posset sufficere. Tum Calotherus; ne quid inani formidine trepidarem. Huiusce loci animantibus, vt, præter Leonem, Aquilis ac Paradisiacis id omnino esse proprium, quod acutissimâ oculorum acie, solarisque fulgoris patientissimâ polleant. His in arce Sapientiæ Academicâ Hetærianos delectari. Leonem illum feritatis suę oblitum, humanitatemque omnem, arte magistra edoctum, etiam à lepore (vti est in adagio) ductari posse, neque aureâ ad hanc rem catenâ opus esse. Nec mirum, inquit, videatur, tantam oculis inesse vim, ac perspicaciam: cum natura hos velut animi generosissimi speculum & indices constituerit, ijsque tacitè contra omnem aduersantium impetum instruxerit; vt, quod regium est, solo aspectu percel-

Sol mense Iulio in Leone.

ἑλκεῖ λαγὼς λέοντα χρυσίνῳ βρόχῳ.

perculleret, vnde & tenebras luminis fulgore penetrat: ne princeps hoc animal, aliquâ, quâ feles etiam gaudent, prærogatiuâ careret. Hoc tamen, ſoli Leoni tribuiſſe natura creditur, quod apertis oculis & naſcatur, & dormiat; hac dignus ſuo in ſtrato epigraphe:

Ipſi iuncta eſt vigilantia ſomno.

Idem oculus in capite, ſubiecit Eteſius, & in anima eſt ſapientia, vtroque rerum diuerſarum ſecreta luſtramus. Corporearum oculus, ſapientia cœleſtium eſt ſpeculatrix; tantoque hæc animæ lux iſta præſtat, quantò cœlum eſt terra nobilius. Nec orbi gemina aſtrorum lux, ſolis lunæque; nec vterque humanæ faciei oculus, tantum gratiæ pulchritudiniſque affert quantum ſapientia animæ, diuini exemplaris imagini. Sol, Luna oculíque faces ſunt, quæ non niſi creatum nobis, & corruptioni obnoxium diem prælucent; at ſapientiæ lux diuinitatis nobis myſteria, & æternitatis adyta reſerat, mentemque immortalitate donatam, paribus ſeſeque dignis occupat. Sol orbem, oculi corpus vniuerſum dirigunt; ad ſapientiæ lumen orbis ciuilis regitur, Reſp. leges videt, mores dirigit, vitiorum cauet offendicula, & regiam virtutis viam capeſſit.

Hunc animæ oculum aliquantò hebetiorem, affecti iam cęcutientis inter noctuas mundi, neſcio quo collyrio Ruthleus non nemo inunxerat: parumque iam aberat, vt, pro ſanitate, cæcitatem irremediabilem faceret. cum opportunè Hæterius mundo oculorum aciem ad diuina obtuſiorem,

restituit. Habuit is suæ familiæ homines, qui leoninis oculis in istis errorum tenebris, pericula orbi impendentia, nō viderunt modò, sed & animis viribusque disiecerunt, ad omnes aduersariorum insidias vigiles; vt ne dormisse quidem, nisi apertis oculis, existimari possint.

Augustum Cæsarem tantâ memorant oculorum luce sese intuentium perstrinxisse visum; vt is velut solaribus ictus radijs hebesceret. Tiberio etiam nox oculis peruia fuit. Strabo minimè strabo centum & triginta quinq; passuum millia, videndo superauit; cùm belli Punici tempore, ex Lilybæo Siciliæ promontorio, classem Carthagine soluentem obseruauerit. Quanta videndi perspicacitate Hetærius polleat, ad hęreticorum insidias & fraudes, gentilium tenebras & errores, scientiarum deniq; secreta & abdita peruidenda, fugit neminem; cùm & istæ noctuę, sapientiæ ipsius radios ægrè perferant, & hæ latebræ, ipsius acumine videndi facilè prodantur.

Plin. Cic.

Interea Orarchon, essedum perosus, vagâque libertate oberrans, in Astrologum inciderat, qui cùm ipsi peregrina admodum, & vulgò inaudita, de cœlorum distantiâ, astrorum magnitudine, eorumque in humana potestate, ad stuporem, velut ex Iouis diphtherâ, recitasset; ille admirandi impar, Logastrum hunc nobis sapientiæ monti propioribus adducit, ad tam nouæ scientiæ secretum arbitros nos, sociosq; postulans. Quæsiuimus hominem, quam de astris ipse scientiam profiteretur, ac probaret maximè? & nun-

quid

quid in tanta distantia exploratum, in tam insanis multorũ erroribus ipse certum possideat? Ac quidem stomachum sibi moueri, Etesius, dictitabat, quoties occurrerent tam audacia nonnullorum de astris pronuntiata, & illorum temeritas, qui tam pulchris mundi luminibus, tot mendaciorum nebulas affunderent. Astrologus interea, velut in se receptus, tacitis quibusdam Diuinitatis stimulis agi cœpit, ac denique oculis coelo affixis, ista fatidico quodam ritu effundere.

Cedite mortales flammæ, cœliq́ caduca
Sidera, quæ tristes luci confunditis vmbras,
Æstatemq́ gelu, tempestatesq́ sereno,
Errorum immensum pelagus: sunt altera cœlo
Sidera, quæ facibus lucent melioribus orbi,
Illustrantq́ animum, pulchrúmque merentur amorem.
Nunquam vbi labenti moriturus lumine fessos
[a] Sol *inclinat equos: vbi lux sine nocte serena est:* Christus.
Centuplicésque faces innubi lampade [b] Phœbe Maria.
Perdia pernóxque affundit: tot [c] Sidera *fulgent,* Sancti.
Quot capiunt animæ diuino à lumine flammam.
Non huc sollicitæ subeunt examina curæ
Saturni soboles, nec tristi pallidus astro
Mœror adest, luctúsque atro velatus amictu:
Nec plangunt Hyades, nec frigida stringitur Arctos.
Hic Veneris fax nulla placet, nec stella Gradiui
Bellorum fœcunda parens. Nil triste minatur

Regnorum terror metuendo crine Cometes.
Gaudia, pacis amor, castéque induita voluptas,
Immortale decus mentis, Sapientia noctis
Inſcia, perpetuis fulgent ſpecioſiùs aſtris.

Nemo erat qui aut ſe, aut huius Aſtrologi mentem ſatis caperet, ita cum aſtris oberrantem. Excentricus orbem extra, atque artem ſuam ire videbatur. Tamen vbi argutiùs rem æſtimaui, errare illum de induſtria credidi, nequid erraret. cumque, vt erat ſagax, noſtra facilè cogitata aſſequeretur, Hanc, inquit, Aſtrologiam nouam, ſublimioremque, quàm vt vulgaris animi penetretur acumine, ab Hetærio accipimus. Alia nos, quam ſiderum in cœlo humanis oculis affulgentium, oracula prò veritate conſulimus, alias ſolis metas, cœlique & aſtrorum menſuras, nomina atque effecta alia, quam quæ vna antiquitas, & erronea nouitas approbat, deprehendimus. Vno principio hæc noſtra ſapientia nititur;

γνῶθι σεαυτὸν καὶ θεόν Nam

——*Seipſum nouiſſe Deumq;*
Hoc ſapientis erit. nimium delirat in orbe
Quem Dominus latet orbis Homo, quem Conditor orbis.

Adlaborauit Eteſius ne Philoſophi à ſuo aberrarent nomine, Mathematici à recta orbis cœlique dimenſione: ne quid illi extra ſapientiam; hi extra lineam. Logicorum argutias, Phyſicorum ſecreta, Aſtrologorum dioptras, Arithmeticorum numeros ad illum quem dixi ſcopum γνῶθι σεαυτὸν καὶ θεόν.

ſcitè

ſcitè direxit. hoc diſciplinarum vulgus, Theologiæ Reginæ, aut legum diuinarum humanarumque cognitioni famulari, perpetuoque mancupio obnoxium fecit Hetærius: quod ſi abſque hoc adminiſterio & ordine conſideres, inutile ac parum homine dignum exiſtimabis. En, inquit, in hac quam manibus teneo charta, plurima vides ſparſim lineamenta: nulla omnium gratia eſt, nulla ſpecies; at verò ſi flexâ leniter chartâ, per rimulam hanc oculos in obliquatam ſchedulam admiſeris, elegantem in ea Soterij imaginem admirabere. Vnde iſta niſi ab ordine confuſarum antea linearum elegantia eſt? Si has diſciplinarum ſpecies hinc atque inde in animis ſparſim ductas obſerues, quàm nullus ſapientiæ delineatæ erit decor? vbi verò illum, quem diximus, ordinem adieceris, venuſtatem atque elegantiam confuſiſſimis alioquin ſcientijs conciliabis. Taceant igitur, qui Hetærianis Academias concedendas negant: aut enim iſta non vident, aut ſolum inuident.

Theologia verò ſcientiarum omnium Domina quantum admirationis atque amoris ſibi per Hetærium comparauit? excipio pulcherrimum illud diuinæ huius ſapientiæ iubar Aquinatem Diuum, quis poſt hunc plus lucis & gloriæ in Theologiam, quam Hetærius intulit? quam aperta nunc multis & compendiaria ad illam via patet? quæ methodus, quamque abs illo præclara, tam vaſtum mare enauigandi, inſtituta ratio? pluribus certè aut deſperatione, aut tædio vincendis animos fecit, hæc Hetærij induſtria.

Quot ille nobiles toto orbe Academias, quanto Reip. Christianæ emolumento moderatur? quot, vt viuos Doctores taceam, mutos ille tot libris conſcriptis Magiſtros, tanquã immortalem Xerxis legionem toto orbe ad ignorantiam expugnandam ſparſit? Enimuerò non fugit perſpicacem animum quanti hominum interſit, ea noſſe, quæ ad ſalutem ac felicitatem veluti manu ducunt.

Dum iſta ſedulâ oratione perſequitur, flexâ nonnihil inter deambulandum viâ, ſolare Horologium in media horti planitie adornatum offendimus: exquiſitæ erat artis opus, in orbem diducta areola Caryophylli, Rododaphnes & Amaranthi flores, æſtiuas complectebatur delitias. Roſæ liliaque extremam areolæ oram, pulcherrimâ ſepe vallabant, ab ipſo loci centro excurrebant duodecim florum ordines rectâ lineâ, in extremum puluilli deſinentes; ſinguli ad latitudinem columnæ, quæ ex corde areolæ aſſurgebat commenſi: huius columellæ ſcaphus vmbris diem horaſque aptè partiebatur. Epiſtyliũ verò ramuſculis, coloribus appoſitè affictis, folijſque ex arte virentibus cedrum mentiebatur, eius altitudinis quæ abiectâ longè vmbrâ temporis diſcrimina minimè interturbaret; in hac totidem rami, quot horæ diei, totidemque in omnibus ex ære formata auium vocalium diuerſa genera; quæ ad vocalis Horologij (quod ſub cortice compoſitæ huius arboris latitabat) ſonum, ſimul omnes in ſuauiſſimum cõcentum ſoluebantur, arte hydraulicâ per ſecretas ramorum fiſtulas aquis allaben-

bentibus excitatę, quos etiam latices hæ modulatrices sub-iectis campis ad satietatem propinabant, illudque nobis mirantibus accinere putabantur:

Hæc possumus arte magistra.

Ceterùm ex illa horti Tiburtini sylua, quam olim Hippolytus Atestinus instruxerat, hæc arbor videri potuit: quæ applaudentium auicularum complures imagines pari artificio vocales habuit. Pighius in Herc. Prod.

Æstuabat inter hoc spectaculum subito quodam gaudio Etesius senex, nec moræ secretique patiens, Diui, inquit, miramur hanc humani ingenij fabricam temporis atque horarum arbitram: & hominem sapientem, admirabile quoddam lucis diuinæ horologium, fugientis æternique temporis, rerum denique faciendarum præstantissimum arbitrum quando attendimus, aut æstimamus satis? ô cæca mortalitas! Dixerat cum promptum adhuc sermonem interpellauit animi inundantis affectio. Hetærius ore iam exciderat; cetera consumpsit mœror nescio, an gaudium.

Astrologus tam prægnantem senis affectum aliarum rerum cogitatione exoneraturus, nouam historiam orsus est, natâ tamen occasione. Erat in colle Sapientiæ arx, in arcis frontispicio eminentior aliquanto murus, qui latitudine aliquâ eductus aquilæ nidum sustentabat. Hoc tunc forte nido parens à pullo, quem alebat vnicum, victus apportandi gratiâ discedebat; cum flexo ad aquilam sermone, Astrologus: *Bonum*, exclamat, *omen ac felix augurium! aquila superuo-*

Suet. in vita Augusti. *peruolat.* Romulo hæc olim, Alexandro, & Augusto imperium portendit; vobis hunc Annum aliquâ etiam felicitate insignem sperare licebit. Quanquam illa infausti ominis videri res potuit, quam cum stupore, hac nuper in aue obseruaui. Geminos iam ad eam maturitatem educauerat, vt plumis subnascentibus genus suum proderent: cum, accenso iam caloribus die, soleque medium æthera velut thronum insidente, sublatos aquila pullos Phœbo, vt parenti, ac Domino, primis obsequijs venerando, defert. Sed vbi horum alter obtortis sæpiùs cum ceruice oculis vibrantes solis radios, vt gladij ictus, impatientissimè exciperet: denique à seuerâ matre ceu spurius in subiectam petram præceps eliminatur. Ita vnicum nunc educat, sed sibi similem, & cœli contemplatorem.

Mitior, ait Mnemon, in Ptolomæum soterem, & Aristomenem hæc auis visa est: cum expositítium illum, & ab Suid. in Lago. hominibus proiectum, coturnicum sanguine, vt lacte, pauit; alisque expansis pro tecto contra feras ipsi fuit; hunc in foueam altissimam præcipitem, expansis subter alis fractoque cadentis impetu, excepit, innoxiumque humi deposuit. Neque adynaton id videri debet, cum triplici natu- Pau. san. l. 4. ræ beneficio, visu, celeritate, ac robore hæc auis ceteris longè prestet, non indigna imperio. Soterio, inquit Etesius, nihil inter bruta animantia similius; videmurque in illo obseruasse paria ætate proximâ: cùm exploratos ad Diuinæ Sapientiæ solem Ruthleum, ac deinde & Lucianum, impatien-

tientes iſtius lucis vt adulterinam ſobolem ipſe Eccleſiâ eliminauit: Hetærium porrò veri luminis patiẽtiſſimum dignamq́; ſe progeniem tantò fouit amantiùs, quantò ceteros indignantiùs reiecerat. Nec mirũ, cum illis mentis oculi vitioſo humore, iniquis nimirum peruerſisq́; nõ opinionibus modò, ſed & affectionibus exundarẽt: alios libido, ſuperbia & ambitio alios; multos ſtoliditas, & inſana quædam libertatis perſuaſio, pleroſq; (ne vno laborarent oculorum vitio) ea omnia excæcarunt. vnde factũ, vt ipſum ſapientiæ ſolem Devm, eiusq; gratiæ lucẽ in Eccleſia Sacramentiſq; nequaquam, aut ferre, aut intueri poſſent. Quam impotentis veſaniæ Theologiam exercent! quæ & homini peccandi neceſſitatem, & Devm tam ferreæ legis, atque innocentum vindictæ, id eſt, tyrannidis autorem facit: quæ nullam mortalibus virtutem ſine labe, nullum ſine ſcelere opus concedit: quæ nonnullis malorum pœnam, alijs rectè factorum præmia denegat: quæ (vt multa paucis aſſeram) omnem à Chriſto nato hucuſque antiquitatem ex ſapientiæ incorruptæ poſſeſſione deturbare, ſeque per vim omnem iniuriamque ingerere ambitiosè, ſed fruſtra, nititur. Quam perturbata ad concionem, & pro Deo ac fide diſſerendi ratio! nihil inter eos concordiæ, niſi in diſcordia. quot capita tot ſententiæ. quot oculi, tot morbi. Virum dicam, & Theſeo felicio rem, qui ex iſto opinantium labyrintho, & acherontæis tenebris, ad exitum ac lucem peruadat: pluſquam Ariadnâ aut Hercule erit opus. Illum verò ſapientiæ deſpon-

debo, qui ex illa Doctorum librorumque farragine, duos aliquos primipilares, in eadem planè fidei capita cõspirantes inuenerit: verbo iam vix ipsi suam ignorantiam nesciunt. Et tamen mimi isti proborum improbi, seculum sibi nuper condere, & aliquem inter sidera locum affectare sunt ausi. quasi verò inter Deas vna Nemesis non sufficiat. Sed parem eis cum Ephesini templi incineratore gloriam non inuideo. Seculum & paulò amplius est quo incendiarij isti in fidem, in pacem, in totam Europæ salutem, tot turbarum faces iniecere, quot emersere incendia. Sed ipsi modi flammis à se excitatis inuoluuntur, hocque epitaphio sepeliuntur. *Fulminis inuentor perijt Salmoneus igne.*

Quod verò indignationem extremam mereatur: Hetærij toties ad saniorem theoriam praxinque sapientiæ prouocantis consilia, & nil nisi pro publica pace saluteque consulentis fidelia monita non aspernantur modo; sed in vltimæ malitiæ sensum detorquẽt. Et tamen si ipsius Thelogiam in examen aduocent, ipsius dicta, scripta, factaque omnia ad illos sapientiæ cœlestis radios, qui ex Sacris Literis affunduntur explorent orbis totius ac scientiarũ consultissimi; virum viro, antagonistarum libros huius monumentis opponant, rationes ac rerum monumenta incorrupti iudices ponderent: comperient se noctem diei, veritati fucum comparasse. Quis enim non videat, quod si omnium acatholicorum consilia ac conatus toto orbe coëant, ne vmbram quidem ad eam lucem quam Bellarmini, Serarij, Suarij,

Suarij, & alij ſexcenti Theologiæ intulere, allaturos: cum horum alij id officij atque laboris publicæ vtilitati ſumpſerint; vt quæ in hac ſapientiæ palæſtra ad ſanæ fidei virtutiſque perſuaſionem eſſent obſcuriora, ac ſibi iam ſatis perſpecta, alijs illuſtrarent. nonnulli legum ſacrarum interpretes, iuris potiſſimum diuini capita, moribus excolendis, & æquitati promouendæ explicent. alij denique rerum cœleſtium, atque ab oculis remotiorum arcana pandant, & piæ contemplationis, amoriſque diuini fomentis animos alant. Quam verò illud egregiè ad rerum diuinarum inprimis ſapientiam orbi communicandam præſtiterint, mortui licet ac muti Doctores præclariſſimis Scriptorum monumentis teſtantur. Quid enim in Sacrarum Literarum ſenſu explanando, aut Salmerone eloquentius? aut Maldonato neruoſius? aut à Lapide enucleatius? Quid in controuerſijs Scripturæ conciliandis, Bellarmino ſincerius? Gregorio de Valētia explicatius? Becano facilius? Quid in hiſtoria Sacra ad fidem atque veritatem exploranda Serario eruditius? Pererio rectius? Saliano planius ac plenius? Quid in Canonum iuriſque diuini intelligentia, aut Molina perſpicatius? aut Sanchez abſolutius? aut Azorio expeditius? Quid in ſpeculatrice Theologorum ſapientia Suario fœcundius ac euidentius? Vaſquio ſubtilius? Tannero diſtinctius? Quid in Chriſtianæ perfectionis ſchola, ac commentatione Cœleſtium Aluario diuinius? de Ponte ſublimius? Rodericio ſanctius? Sed fruſtra ex integro exercitu illuſtrium

Doctorum, paucula tantum censeo capita. Vrbes nostra Europa plures habet, ex quibus singulis totidem exploratæ doctrinæ viros facilè produxerim. Colonia vestra suo in gremio natos educatosque, Ioannem Rhetium, Henricum Blissemium, Petrum Michaelem, aliosque sapientiæ non minus quàm virtutis testimonio, scriptorumque monumentis clarissimos, huic familiæ transcripsit. Nolo Canisij, Costeri, ac ceterorum laude istic celeberrimâ cognitorum meminisse. Illud vniuersim pronuntio; omnium Hetærianorum vnum hunc laborem esse, rerum cœlestium cognitione rudes animos imbuere; quem quidem adeò pertinaciter sectantur; vt ne post mortem ab hoc officio abeant, scriptos, velut muneris huius implendi executores, libros instituant.

Immensum sit, si persequar, quantâ orbis necessitate hic labor postulatus; quantâ fuerit vtilitate approbatus; quantâ denique studij illius præstantiâ, quod vnum in omnibus ad immortalitatẽ erudit, & iam nunc prælibat diuinam illam beatarum mentium scientiã. Suæ certè felicitati orbis stolidissimè indignatur, si illum Hetęrij laborem improbet aut repudiet. Applaudat modò, & per multa obstacula procurrenti iam solido æuo industriæ lubens velificetur. Pandat Academias & ipsius sudoris, & suæ salutis campos; non in illis plausum, non euanidi honoris vmbras, aut dignitatum titulos (expertorum fidem testor) ambitiosè sectatur; alienis emolumentis se, studia, vitam impendit; totus esse benefi-

cium

cium desiderat. Hanc generosæ aquilæ indolem interpretatur, deserto nonnemini Ptolomæo, aut labanti Aristomeni, opem salutemque ferre, cespitantibus nimirum, atque errore præcipitibus sapientiæ adminicula subijcere, & vel auertere, vel interrumpere casum.

Insigni hæc vocis animique contentione effundebat magis senex quam loquebatur. cùm ad alteram arcis partem digressi, istic obseruamus leonem (de quo ante memini) iam solutum iugo, & non longè à vestibulo, cum catellis pauculis ludentem, qui & suam ab edomita parente mansuetudinem traxerant. Cùm ad me Calotherus. Hìc Regem quadrupedum, istic Reginam auium obseruasti. mirandum quanta vtriusque Societas, & inuiolatæ amicitiæ fœdus. ad huius arcis defensionem conspirantibus oculis animisque euigilant, & velut pro sede propria fortissimè dimicant. Ex nobilissimis Europæ partibus generosorum animalium altricibus, & hunc Regem, & illam Reginam submissos accepimus. aquilam Austria, Bauaria leonem peperit. In arcis deinde aditu triumphalem reperimus arcum, in quo Titulus: *Nos ornant Aquilæ placidiq; Leones.*

Adiecta hæc Ode erat.

Huc arbitrator Phœbe potentium,
Et lumen orbis. Qui nebulas super,
Ac noctis ignorantis vmbras,
Facta vehis, celebremq; famam
Obliuiosis nubibus eximis.

Adsis; sed isto quo medium æthera
Auro coronatus serenas,
Non humili redimitus ostro,
Agnoscis istud munificentiæ
Splendens theatrum, Nobilis Austriæ
Boiæq; Primorum fauorem,
Et stabilis monumenta saxi,
Quæ fixa Diuæ stant Sapientiæ?
Palæstra sacramentis, & ingenI;
Virtutis arx; morumq; castrum;
Magna Aquilæ domus, ac Leonum.
Quam nec minaci terreat impetu
Offensus Auster: nec variantibus
Exercitatum æquor procellis;
Nec rutilæ Iouis inquilinæ
Trisulcus ignis: nec, quod edacibus
Insistit horis, & rapit omnium
Floremq; gratiamq; rerum,
Ingenium pereuntis orbis.
Quodcunque saxis tempora detrahant,
Laus hæc manebit. nil sibi liuidum
Hinc carpit æuum. fama pernox
Perdiáque interitura vincet.
O stirps renatis aurea seculis
Æternitatem vince, perennibus
Virtutis artiúmque templis

Et

Et Sophiæ redeuntis aris.
Vince & priorum nomina Cæsarum
Caliginosis squalida noctibus,
(Quos vna totos tumba vexit,
Et cineres titulósque iunxit)
Laudi superstes. Fallimur? an sacris
Musis senectam detrahis: & fidem
Scientiarum laude fulcis
Omne retro memoranda tempus?
An non laborant pulpita, quæ suum
Obdormierunt tarda per otium?
An non reuixerunt iacentes
Ad studium pietatis anni?
O stirps renatis aurea seculis
Mundi imperatrix digna! fauentibus
Accresce Diuis, & Nepotum
Laude pari memoretur ordo.

Hoc carmine Hetærius Austriacæ Bauaricæque familiæ beneuolentiam nuper veneratus dicebatur, cum Academicis lectionibus initium fecerat, quod hìc ad memoriã sempiternam erat exaratum. Neque aliquo mihi opus ad hanc rem interprete. Intelligebam facilè quid esset beneficium gratis ac bene vtentibus impendisse. quo deinde loco habendus Hetærius quem ista orbis ornarent decora, atque in arce sapientiæ tanto opis fauorisque sui impendio collocarent.

Prurie-

Pruriebat interim mihi animus cupiditate videndi aliquot ſapientiæ ab Hetærio præfectos. Cui deſiderio fauens Aſtrologus. Tales,inquit,in eis complures ſunt tantæ lucis viri; vt in ipſis cimmerijs tenebris illos me tibi oſtenſurum confidam, adeò quidem, vt in loco, vbi nil videas,ne ſolem quidem aut diem ipſum, eoſdem tamen viſurus ſis. Riſum peperit omnibus tam inexpectatum ac ridiculum promiſſum. Cùm ille ſequi iuſſos in porticum latiſſimam (qualis illa Domitiani Cæſaris apud Suetonium videri poteſt) primus induxit. tota erat picturis expleta,ita ſine ordine ſparſis confuſiſque;vt vix cuiuſquam coniectura ad imaginis vnius compoſitionem ſufficeret, relicta hinc inde hominum membra, velut ex pugna imaginum inter ſe funeſtiſſima: hìc biretum,alibi liber & calamus; roſarium illic, cilicinæ veſtes ac flagella, quæque ſeruire armorum genera, in noua hac pugna videri poterant. vt aliud deniq; nihil,quàm religionem exciſam adumbrari crederem. Hâc viâ in turrim, quæ iuxta erat, nos præiuit; tam densâ caligine obſeſſam,vt foribus adductis, ipſa hic nox captiua videri poſſet, niſi tenuibus dies radijs,aliquâ ſeſe rimulâ inſinuaſſet.

Dum vna in hoc carcere præter noſtrám cæcitatem nil contemplamur;Aſtrologus,neſcio quid,cum Calothero & famulorum nonnullis commentatus, ad nos redit: manuque contra radios in cæcum carcerem adlabentes demiſsâ, puriſſimam in ea chartam habere eſt viſus. me deinde obſeruare iubet, numquid in ea pictum? cumque nil præter

nudam

nudam me tabellam animaduertere dicerem, leui inflexionis momento, nescio quæ vmbrarum cohors tabulam insilire,& in ipsis obambulare capitibus visa est. tum & cœlum, hortumq; antea spectatum obiecit; sed præpostera omnia, vt iã tellus circa nos volui, pendere viderentur arbores, cœlo pedibus insistere crederemur. Ad quod mihi spectaculũ primo horror, tandem & de hominis integritate nata suspicio est, contraque fascinum,& Necromanticorum ludibria Christianæ fidei armis munire pectus cœpi, illudque etiam formidare, ne & ego membris vitâque truncatus, amplissimam illam augerem porticum, victoriæ lugubris exemplũ. quin & apertè profiteri huiusmodi me ludificationum, atq; artificiorũ, cum salutis discrimine, minimè esse appetentẽ. Ne te, inquit, mi adolescens, vmbrę hę percellant: ex Acheronte nõ sunt; sed à natura,& sapientię arcanis in hanc chartam cõuocatæ. Ne verò euersione sua tibi formidinẽ creẽt, faxo ocyus: iniectoq; foramini altero orbe vitreo, omnia in ordinẽ restituit, quo deinde vitro leniter suſ-deq; flexo, varijs tabellam vnicã emblematibus, quouis Apelle scitius delineabat. tum momento colores lineamentaq; abstergebat omnia, pari facilitate aut eadẽ, aut diuersa repositurus. denique ità artificiosam picturã moderabatur, vt in eam obliquè inciderẽt, quæ totâ antea porticu sparsa mirabamur imaginũ fragmenta,& pulcherrimo ordine suis quæq; aptata locis, repræsentaret. Multorũ visebantur Heroum icones natiuis coloribus post fata in spirantem aliquam vitã penicillo

reuocatæ. Tenuior plerorumque facies, rugisque ac macie, denique & senio exsucca; virilis tamen, & insigni quodam animi excelsi vigore animata. Primus velut pro concione adstans ingenti mortalium affluxu, in mari aliquo æstuanti positus videbatur. Hæc ipsi apposita inscriptio.

LEGE, ADMIRARE
ALPHONSVM SALMERONEM,
SALOMONEM PROPEMODVM DIXERAM;
CVIVS SAPIENTIAM,
TRIDENTVM CELEBERRIMO ORBIS CONCILIO,
HIBERNIA, VENETIÆ, NEAPOLIS, ROMA, GALLIA,
OBSTVPVERVNT,
CVM HÆRESIS STVPIDITATEM CARPERET,
ECCLESIÆ ROMANÆ AVCTORITATEM DEFENDERET.
AMARVNT,
CVM VITIORVM PERSVADERET ODIVM,
VIRTVTVM AMOREM INGENERARET OMNIBVS.
BELLATOR FVIT,
QVI LINGVA PRO GLADIO VSVS,
ELOQVIO PVPVGIT, VERITATE SVPERAVIT,
AMORE CEPIT, POENITVDINE STRINXIT,
DETRIVMPHAVIT QVAMPLVRIMOS,
VICTORES, CVM VICTI CADERENT.
HIS NEGOTIIS
SCRIBENDI FERTILE ADMISCVIT OTIVM,
PLVS LECTVRVS QVAM QVISQVAM SCRIBERET,
PLVS SCRIPTVRVS QVAM QVISQVAM LEGERET.

VIVE-

VIVERE DESIIT
POSTQVAM PRO LIBERIS MORTALIBVS
IMMORTALES GENVISSET
LIBROS.

Sequebatur alius ætate atque auctoritate Senex ſpectabilis, Cardinalitiâ inſignis purpurâ, quam dum ſpretim contueretur, plus ipſe ferè pudore quàm habitus murice erubuerat. Hoc erat donatus elogio:

ROBERTVS BELLARMINVS
DOCTRINA ILLVSTRIS, PIETATE ILLVSTRIOR,
HÆRETICORVM MALLEVS, SCVTVM ECCLESIÆ,
HONORE MAGNVS, SVBMISSIONE MAXIMVS.
AD QVEM PVRPVRA
NON COACTA VENIT, SED COACTVS IPSE EST.
HANC CVM SVA TINGERET VERECVNDIA,
ILLVSTRARET SAPIENTIA, DEMISSIONE EXTOLLERET,
OMNIBVS REDDERET ORNATIOREM VIRTVTIBVS,
OMNIBVS CELEBRIOREM FACERET LITERIS;
TVNC CARDINALITIA PROMOVERI PVRPVRA
ET DIGNITATEM ACCIPERE, NON DARE EST CREDITA.
ADMIRABILIOR IS QVOQVE
CVM ANNIS AB AVLA PONTIFICIA VLTIMIS
AD RELIGIOSORVM REDIRET ANGVSTIAS;
QVAM CVM AB HIS OLIM AD AVLAM PONTIFICIAM,
MORI GLORIOSIVS,
QVAM ITA INGLORIE NON POTVIT.

Tertius macie ætateq; confectus vir, demiſſis oculis paſſiſq; brachijs medio pendebat aëre, inter ſcriptorium hinc,

inde oratorium pluteum. Exaratus hic erat iuxtà titulus:

IN VNO
FRANCISCO SVARIO
HISPANIA GEMINVM PEPERIT MIRACVLVM
SCIENTIAM ET DEMISSIONEM MAXIMAM.
CVM ESSET HIC ADMIRATIONI OMNIBVS,
SOLI SIBI DESPECTVI FVIT.
SAPIENTIAM DIVINAM
TOMIS, AN STELLIS DICAM? VIGINTI ET QVATVOR
ILLVSTRIOREM MVNDO TOTI REDDIDIT:
TANTILLI APVD SE PRETII SCRIPTIS; VT PRO OMNIBVS
VNIVS SIBI ORATIONEM HORÆ NOLLET ERIPI.
ITA PORRO SCRIPSIT
VT VNA INDECISA MANEAT CONTROVERSIA,
PLVRANE FECERIT SCRIBENDA POSTERIS
AN IPSE FACIENDA OMNIBVS SCRIPSERIT?
FLAGELLO AN CALAMO VSVS SIT CREBRIVS?
ATRAMENTO CHARTA, AN VVLTVS LACRYMIS
MADVERIT, AC NOATVS SIT MAGIS.
DENIQVE ITA MORTVVS EST
VT VIVERE NON DESIERIT,
SED INCEPERIT.

Ingens ſupererat heroum illuſtrium ordo, verebaturque Aſtrologus ne faſtidium crearet ſpectandorum multitudine. Quare manum operi amoturum reuocabam, obteſtans aliquem vti notum popularibus, (quos complures intereſſe huic ſcenæ memorabat) exhiberet: cum dioptrico ſpeculo aliquantum flexo nonneminem maturæ ætatis virum oſtendit, qui de corporis vigore nil niſi annos amiſiſſe videbatur: cui deinde ad legendum liber, ad ſcribendum calamus,

mus, ad peregrinandum appoſitus erat baculus; denique hæc adiecta epigraphe.

FRANCISCVS COSTERVS
COLONIAM VBIORVM
MAGNO AGMINE LITERAS AC MORES PROBOS
DEDVXIT, CASTRA MVSARVM ET THEMIDOS.
RHENI PROVINCIAS
PAR IPSE SVIS REXIT SVBDITIS;
NEMINI IMPERANS PRIVSQVAM SIBI;
NEMINI DVRVS PRÆTERQVAM SIBI.
RELIGIONEM ILLE
PLVS ANNIS SEXAGINTA EXCOLVIT, ILLVM RELIGIO:
NVLLA VNQVAM ADMISSA QVIETE FORIS,
INTVS SVSCEPTA INQVIETVDINE.
GEMINO BENEFICIO, CARNEM SINE STIMVLO,
CASTITATEM HABVIT SINE VVLNERE:
DOCTOR AC SCRIPTOR
QVOT VERBIS DOCVIT, SCRIPSIT CALAMIS,
TOT TELIS CONFODIT REFRACTARIAM HÆRESIN,
TOT IACENTEM PIETATEM EXCITAVIT STIMVLIS.
MORBVM AC MORTEM
MALA ESSE NEGAVIT CVM PERTVLIT;
NVNQVAM, QVAM IN LETHO LÆTIOR.

Ita hæc ſpectacula concluſimus, omnibus tum ad rerum exhibitarum dignitatē tum nouitatem, amore atq; admiratione pleniſſimis. Sed vix extulimus pedē carcere, cum aliud prorſus inexſpectatū nos occupauit; ſiquidē rariſſima atque elegantiſſima medio cęlo auis euntium pedibus allabitur. Paradiſiacam vocant, quod eam Moluccēſes ob inſignem volucris formam atque inter homines, aliasq; aërias aues infrequentiā ex Paradiſo aduenifle perſuaſūm habeāt.

Hæc vbi desiijsset viuere, terram pro sepulchro petijt, nostrosque, calida adhuc & reliquias vitę fugientis trahens, ante pedes concidit. Venustatis inter aues principatum iure obtinet. Corporis exigua mole & capitis forma (nisi quod longioris & obcurui sit rostri) Hirundini erat propior, à pectore per reliquū corpus leuium plumarum emergebat sylua, tanto ambitu ac prolixitate, vt aquilarum alis parum concederet. plumæ ipsi in capitis vertebra ac ceruice prorsus aureæ, atque ad radiorum solarium æmulationem coruscæ: pectus ac dorsi pars magna fuluis hemicyclis vndulata, cetera pauonibus colore non absimilis, nisi quod illorum gratiam eximia disparitate vinceret.

Aldr. lib. 2. Nier. li. 10. Inaudita nobis erant quæ de hac Mnemon adferebat. Vt medio in aëre pennarum remigio librata infatigabilis persisteret, rore ac fortè muscarum aduolantium præda pasceretur, mas in eis dorsum pariturae fœmellæ libero in æthere substerneret, parturientemque ac dein cum parente prolem, alis circum pro muro erectis, contra omnem ventorum defenderet iniuriam, pater ipse ac solum natale pullis nascentibus. Dum hæc auscultamus, Astrologus tubo vsus optico, alias eius generis aues, ex quarum consortio hæc moriens defecerat, altissimo cœli loco obseruauit, nosque ad tantam nouitatem acciuit arbitros. Vbi mira animorum voluptate iam ante dictorum fidem oculis testibus confirmatam accepimus, aduertimusque caput soli obtendisse singulas, tanquam ab illo pabulum vitæque suæ ali-

menta

menta emendicarent. Etesius huius etiam contemplationis studio in furorem quendam poëticum exarsit, licet rigidioribus iam venis ægrè sanguis tanto in senio incalesceret.

Sublimes animæ Sapientum, nobilis aulæ
Cœlorum indigenæ, qui fastiditis inertem
Terrarum sedem, & medijs habitatis in astris
Pulchræ Apodes (hoc vos nomen meruisse fatemur)
Dicite, quis mediâ volucrem librauit in æthrâ
Atque oneri detraxit onus? Quis pondera sursum
Inclinat, magnaq́; animam sub mole latentem
Corporis, insinuat cœlis, secretaq́; Diuûm
Explorare facit? Passis suspenditur alis
Hæc cœlestis Apus; vos mentibus: vtraque vires
Hic superat natura suas. Quis purpurâ & auro
Vestijt illustres volucrum, tantumq́; decoris
In paruas cumulauit aues? hic caltha colorem
Lutea, puniceum violæ, niueumq́; ligustra,
Purpureúmque rosæ, proprio discrimine pictum
Quæq́; suum videt ipsa decus. vernantior Iris
Nulla fuit; similésue tulit Iunonia pennas.
O pulchræ Sapientis opes rarúmque colorem
Doctorum! quam multa animæ se gratia vestræ
Diuinis offert oculis! Sapientia nullo
Pingitur ingenio, nullusq́; hanc Zeuxis adumbrat
Tantum habet illa decus, tantumq́; decoris honorem.

Dicite,

Dicite, pendentem vacua quis paſcit in aura
Telluris fugientem apodem? Num fortè, propinqua
Sideribus, Superum menſis analecta remotis
Colligit, ambroſiámque polo rorante cadentem,
Deciduamq́ æthrâ cererem, gens reproba, quondam
Manna tuum? Quæcunq́ fouent alimenta famentem
Cœlo debet auis, debet nutricibus aſtris.
Vos conuiuæ apodum Sapientes, voſq́ue Deorum
Pincernæ; qui diuinis myſteria cellis
Promitis, hæc tantæ noſtis ſecreta volucris:
Vos quo fonte bibat nectar, quæ fercula libet
Dicite; quæq́ animis alimonia præbita veſtris
Cùm ſpreta tellure polos luſtratis apertos.

AVGVSTVS

MARTYRVM ILLVSTRIVM ardorem continet.

MIRVM quàm iſta rerum nouitate paſcebamur, omníque luce illæ nobis tenebræ clariores fuerant, ad earum rerum quam ſectabamur notitiam. Quin adhuc multorum reliquæ erant illo Mathematico artificio illuſtrandæ exponendæque imagines, multa etiam totâ arce memoriâ ac cognitione digniſſima; ſed Calotherus monuit temporis ſimul atq; earum, quæ ſupereſſent rerum, rationem ineundam: vereri ſe, ne nocte denique præcipitante

iam

iam die, occupati, pulcherrima in vmbris perderemus ſpectacula. Quocirca ex Arce præeunti obſecuti ad puteum aquis limpidiſſimis ſcaturientem deuenimus, qui muro incluſus, fornice gemina columna nixo, tegebatur. Exteriori fornicis vmbilico inſiſtebat Aſtræa, Themidos Iouiſque filia, haud ignobilis ſpecie atque habitu Virgo, æſtatis adultæ cuſtos & aſſertæ Diuorum fidei præſes ac muneratrix. In media fontis aqua res viſu iucundiſſima nouitate atque admiratione nos iſtic defigebat: hinc Leonis, inde hominis apparebat occiſi imago. Ora vtriuſque aperta apes frequenti agmine, tanquam aluearia melliſque domicilia, ſubibant.

Memineram Leonis Sampſonici, & Oneſili Regis Cyprii, cuius, ab Amathuſiis iniuria interfecti, caput examen apum fauo expleuerat: vt iccirco in fonte non fabulas me, ſed receptam antiquitatem legere crederem: dubitarem denique vitreumné ſepulchrum & artificioſæ vetuſtatis miraculum, an liquidum labileque aquarum monumentum, quo funereæ hæ conderentur imagines, intuerer? vbi tamẽ iniecto lapillo veritatem exploraſſem, & confudiſſem omnia, facti periculi doluit; ſed Mathematicus (qui adhuc aderat) monuit, cura hac abſtinerem, reditutas in integrum quantocyus. cum aqua eas perennes eſſe, neque detrimentum in his vllum aut vitium perſentiſcere. Quare curioſitatem omnem impendi, vt facti naturam introſpicerem aut deprehenderem, ſicubi forte obiecta rerum ſimulacra has in fonte generarẽt ſpecies. Cum explorato fornice, ſpe-

cula gemina ad elegantiam inſerta offendi, in quibus eædem Aquę velut in aëre pendulæ, eædemque rerum viſebãtur imagines. Neque verò quippiam apparebat aliud in aperto latè horto, & nudo ceteroquin aliarum rerum puteo, quod hæc ſpectacula, aut vitro, aut aquis affunderet. Columnas deinde à putei labro velut per gradus in maiores anguſtias accreſcentes obſeruaui, & in altera harum deprehendi Epitaphium per gradus vti lineas diſtributum: quod auidius inſpexi, picturæ huius arcanum ex illo me cogniturum ratus, erat huiuſmodi.

VIATOR

STA QVI NON STAS, LEGE QVI PARVM LEGIS.

HIC IACET THEOPHILVS,

NEC SOLVS, NEC OMNIS: NEC SERVVS, NEC DOMINVS.
NEC CIVIS, NEC AGRICOLA: NEC PASTOR, NEC MEDICVS:

SED OMNIA.

HIC VITAM EGIT; NEC IN VRBE, NEC RVRI:
NEC DOMI, NEC FORIS: NEC TERRA, NEC MARI:

SED VBIQVE.

NEC FAME, NEC VENENO, NEC FERRO, NEC FLAMMA,
NEC PACE, NEC BELLO, NEC DENIQVE MORBO SVBLATVS

SED OMNIBVS.

POSVI ILLI, NON COGNATVS, NEC NECESSARIVS:
NEC DOMESTICVS, NEC PEREGRINVS: NEC MOERENS, NEC GAVDENS:
HANC NEC MOLEM, NEC LAPIDEM, NEC SEPVLCHRVM,

SED OMNIA.

Hæc vbi legiſſem, iam velut nouis imaginum vmbris de-

luſus,

lusus, nihil nisi ipsam perplexitatẽ vidi. Et nunquid Sphingis, quæsiui, istud est argumentum? cum Mnemon, nequid hic admirarer tarditatem meam, lynceos fuisse in literis multos, quibus ad similia tamen visus atque aqua hæserit. Repertum quondam Bononiæ sepulchrale monumentum parem huic epigraphen præferens (nisi quod fœminæ positum videretur) cui explicando multorum desudarint ingenia. Et quod alij Aquã, Ideam alij, Nioben, Animam, denique Amorem nonnemo sit interpretatus. Scitè, inquit Litholeon, & non longè à scopo hic mihi postremus errasse videtur. Iam in eo eram, vt Hetærio, nuper in amoris effigie perquam appositè exhibito, eadem cõgruentia adhiberem; cum hic non infrequenter illud Apostolicum vsurpet: *Omnia in eo possum qui me confortat*, omniumque personam assumat, omnia loca peragret, omnisque mortis subeat discrimina, vt omnes lucrifaciat. Quod si porrò aliquis hoc illius virtutibus tam rarum monumentum dedicarit. an non aptissima omnia? subrisit Etesius, laudatoque adolescentis ingenio. Næ tu Hetærium, inquit, præproperè nimis ante fata sepelis: adhuc valet & viuit. Etiam viuis, respondet Litholeon, mortis ponimus monumenta; vt meminerint, qua lege viuant, domiciliumque habeant, ad quod vitâ profecturi demigrent.

Mihi porrò in eandem rem meditanti, visus est ille Hetærianæ familiæ manipulus, qui fidei defensione contra hostes susceptâ fortiter occumbendo vicisse memoratur, hoc

Sepulchro Epitaphioque, tanquam illuſtri monumento, honorari. Nihil enim admodum tota inſcriptione occurrebat, quod iſti aduerſari poſſet; ſiquidem hic ſub vexillo tituloque diuini amoris pugnans cadensque vnum Theophili nomen eſt meritus; omnium etiam perſonam induit, vt omnes Chriſto lucrifaceret; neque tamen omnino dicendus Dominus, licet animis multorum dominatus ſit; neq; prorſus ſeruus, quamuis aliorum ſe ſeruitio impenderit; neque paſtor quantumuis multos rerum ſacrarum velut paſtione refecerit. Cetera deinde pari facilitate congruũt, cum nõ vrbe ſola aut ruri, ſed vti ſolis radij, quacunque effuſus, orbem ſuo ardore accenderit, ſanguine purpurarit, omnem mortis expertus crudelitatem; vt proinde Oneſilo iniuria cæſo, ob innocentiam; Leoni Sampſonico, ob fortitudinem; vtrique ob ambroſiæ cœleſtis poſt fata affluentem guſtum, ſimillimus Martyrum iſte manipulus videri poſſit. denique hoc ſepulchrum abſque ſepulchro, à gratæ memoriæ homine excitatum, haud difficulter ſuo auctori tot nominibus accommodabitur.

Acceſſit confirmandæ opinioni nouum ſpectaculum: quod, vbi ad oppoſitum putei latus conſtitiſſem, occurrit oculis in aquas eaſdem ſubmiſſis; Cometa videlicet ſubtriſti atque ominoſo affulgens lumine: caudato is ſidere, & tenui velut cruore tincto, gladij ſanguinolenti formam exhibebat, neq; vnâ tantũ armatus parte, ſed mucrone quadruplici in omnem orbis plagam diſtricto pari atrocitate mini-

nita-

nitabatur, non alio, vt reor, quam illarum cladium indicio, quas ab omni orbis parte pro humana salute excepissent excepturiq; essent Heteriani. Ceterum has rerum inter aquas apparentium imagines Mathematica arte ex latentibus ad putei fornicẽ picturis in dispofita primũ secula, deinde ex his in aduersas putei aquas defluere obseruaui. Sed abstraxit tenacius spectaculo inhęrẽtes Astrologus nolens, vti opinor, omnia nobis explorata fieri, nę cum ignorantia artificij admirationẽ tolleret: Illã verò probauit sententiã, qua Martyrũ honori artificiale hoc monumentũ attribuimus. Ita recessimus à puteo: cumque, vt fit, reductis pedibus Orarchon vnà sequeretur impegit in iacentem pone Canem hero Calothero adhærentem, qui subita impatientia prouocatus dentes in eum mordaciter excussit, atque istic loci crudo vulnere perstrinxit tibiam, vbi purulento vlcere iam dudũ intumuerat. Perculit horrore omnes inexspectatus casus, sed vbi Orarchontem Promethei fortuna vulneratum intelleximus, qui ferro ab hoste petitus incurabili secundum pectus vlcere liberatus est; vbi, inquam, ex plaga sanitatem vidimus accepisse; plausimus, atque destinato supplicio Canem absoluimus; quanquam & hinc excusandum putauimus, quod lęsus primum ipse defensione inculpatæ tutelæ vsus crederetur: tum quod siderum necessitati, aut Caniculæ cœlesti iam inter astra efferuenti hęc Molossi iracundia imputanda videretur. At verò Orarchon aliqua vulneris acerbitate perstrictus, omnem dissimulare indi-

gnationem non poterat, ijsque nos similes appellabat, qui Barbaros innocentium Hetærianorum sanguine cruentos defenderent, & grauitatem sceleris hâc excusatione mitigarent, quòd ab ijs Martyres beneficium accipiant. Imò, inquit, Etesius hanc gloriam tuam æstimes, quod plagam Martyribus simillimam acceperis, quæ sanet magis quàm vulneret, plus gaudij quàm doloris habeat.

Interea opportunè ad medicas herbas, quibus hic locus abundabat, delapsi sumus. Vbi Mnemon, vt erat chirurgicę herbarumque inprimis callens, vulneri accepto ex ijs remedium Orarchonti apposuit: tum multa de earum virtute eruditè disseruit. Vt Balsamine vulneribus medendis efficacissimum funderet oleum; Malua purpurea venenatarum animantium morsibus noxam abstergeret; Croci planta pedibus trita lætius assurgeret. Apij succo & Portulacæ marinæ semine contra sensum tormentorum obdurari corpora dicerentur. Sciscitabatur Orarchon nunquid herbæ istius præsidio armati tantâ fortitudinis laude pro fide Hetæriani stetissent? Alijs, respondit Mnemon, præsidijs contra immanem Barbarorum ferocitatem vsi sunt, *Amore & Patientia*, illo obstantes perfringunt difficultates, hac sufferunt ferendas: vtroque vias quantumuis inuias periculis frequentes, laboribus arduas penetrant, mortis terrores generosè despiciunt, vitæ suæ dispendio subueniunt alienę. Amore herba nulla potentior est, hâc vincunt omnia.

Inuia virtuti nulla est via.

Amor

Amor diuinæ gloriæ ac ſalutis humanæ opum in illis vincit appetitum, honoris ſenſum, voluptatis guſtum. Amor famem ſaliaribus dapibus facit ſapidiorem, nuditatem purpurâ omni ſplendidiorem, contemptum omni gloriâ gratiorem, laborem omni quiete dulciorem. Amor illorum nec carceribus conſtringitur, nec vinculis adſtringitur, nec tormentis patitur, nec morte moritur. *Amore vincunt* Iaponum cruces, bipennes, rogos, aquas, ſcrobes, ſuſpendia: Braſilorum ſagittas, clauos, gladios, lacerationes, toſturas: Anglorum equuleos, patibula, ſectiones, euiſcerationes:

Amore vincunt omnia.

Ita oranti nubes iam fulgetris tonitruiſque frequentioribus obſtrepebant, neſcio an applaudebant; audiri certè præ ita gratulantium accreſcente tumultu vix potuit: & mihi ſanè attentio omnis inter trepidationem excidebat. Leuiora erant venientis tempeſtatis iam ante ab ipſo horti ingreſſu præludia, quam vt minitanti cœlo, naſcentibuſque pariter, ac præcipiti vento intermorientibus nubibus fidem ſecuturæ faceremus tragœdiæ.

Cœpit primò aër leuioribus nubeculis obfuſcari magis, quàm amittere ſerenitatem; deinde neſcio quibus marceſcere languoribus & corporis hebetare alacritatem, vireſq; velut cum morbo luctantes faſtidioſo calore & ſudore profundere; neque multum poſtea moræ, cum velut inſtructa acie tempeſtas ab Oriente prodire Euro duce atque anteſi-

gnano.

gnano. Nubium variæ, ceu Leonum Elephantorumque in Pyrrhi acie contra Romanos ſtantium, formæ aderant; liuentes aliæ & noctis fuligine ad horrorem luridæ: aliæ tanquam flammarum iam ex lignis crudioribus in fumum demigrantium vehicula, triſtiori luce, quam tenebris ferebantur. ipſa nox ad faciliores inſidias omnem caliginem affudiſſe videbatur. Neque cæco hæc cuncta primoque deferuere impetu; ſed ſenſim indignari procella, vt noceret violentius. Tangi primum & leuius plaudere arborum capita, deinde frondes, denique totum corpus hunc motum ſequi. Fruges ac herbę ſubinde, minor turba, ventum comitari: neque iam ipſa interquieſcere gramina. Quæ vbi demum volare magis omnia, ac præcipitari, quam incedere ſunt viſa, tum animaduerſum pugna ſeria Iouem cum mortalibus decertare. Tonitrua, velut tormentorum bombi, primum tenuiora & ceu leuioribus ac quandoque fallentibus machinis emiſſa, audiri; tum grauioribus exploſionibus, intermicante fulgure, res geri: adeò quidem, vt deſtituto ſæpè impetu, in obiecto nubium aggere vis ſonusq; elideretur; ſæpè exagitatis tormenti vltro citroque per liquidum pauimentum rotis, maiori ſtrepitu quam noxâ ſæuiret. Denique aperta vi furoreque effuſum tonitruum, hinc inde arbores decerperet medias ante ſuum penè caſum proſtratas: ea erat nocendi ſæuities ac celeritas. tandem velut extinguendo incendio plenas Aquarius vrnas affundebat.

Nos ad tantam orbis seditionem consternati lauros, qui haud procul aberant, subijmus, quas fulmen omne ita declinabat; vt tanquam à sacrâ sibique vetitâ arbore fracto impetu absisteret. Hac securitate læti aliquantulum dictæ tragœdiæ spectatores adstitimus, natâque ex obiecto argumento disceptation,ecum in feruentem,solis caniculæ adhucdum inhærentis æstum causam tantæ tempestatis refunderent,& Calotherus adijceret hunc locum tempestatibus frequentari solitum,controuerti cęptum est, malitiæne humanæ an locorum ingenio tanta sæpè aëris serenitatisque euersio tribuenda? Asseruitq; Mnemon multis sese exemplis haud difficulter probaturum tantam esse mortalis malitiæ vim, vt subsidiaria Vmbrarum ope, & possit, & ausit sæpè tam immanem insolentiam. Apud Finnos Septentrionis populos ad nundinas atque negotiationem inferri ventos tempestatesque venales. Siqui nauigijs præsertim eunt,veniuntque, hi mercem eiusmodi ad littus vendibilem reperiunt. Lorum offertur emptori tribus nodis implicatum: quorum si primum soluatur,ventus adspirat placidus,sin alterum vehementiori ille assurgit impetu;si denique tertium,tunc omni effusa licentia debacchatur, & cōsilium rationemque nauigantium superat. Olaus Mag. de popul. Sept.

Ne quis tamen existimet hæc inter homines nauci,ac de triuio tantum agitari. Henricum Sueciæ Regem ita auram ventosque in potestate habuisse Olaus memorat,vt quo pi-

leum vertiſſet, huc ſigno dato venti incumberent, hominiſque imperio pro inconſulta illius lubidine in hoſtem ſubſeruirent. Eteſius adhæc, quid mirum? inquit, Homo homini lupus eſt. nemo atrociora in hominis perniciem audet ac machinatur quàm ipſe homo. Acheronticos Alaſtores; fulmen de cœlo, & quæ ipſe horret omnia, in amicitiam ac patrocinium euocat; vt noceat ſibi ſimillimo homini.

Dies hæc locuſque non admittit, vt machinationes & conſilia in Hetærianos funeſtiſſima aggreſſos homines memorem; erit enim cum ea de re opportunius. Id modo non ſatis admiror, quod tanta animi celſitudine ac robore omnem ipſi tempeſtatem in ſe concitatam adierint, cum vitæ non tantum diſcrimine; ſed & multa ſanguinis profuſione. Vtraque India, Braſilia, China, Europa, Aſia, Africa, mare, terra ad tantam dicamne barbarorum immanitatem erubuit, an Hetærianorum fortitudinem purpurata plauſit? nulla toto orbe regio, quæ tam generoſum ſanguinem non biberit, tantique in Diuos hominesque amoris veſtigia, ac teſtimonia non exceperit, proprio Heroum cruore irrorata. Neque verò, tam feruens meſſorum manipulus in ampliſſimam ſegetem toto orbe effuſus tempeſtatem hanc & atrocia fulmina vnquam deuitauit: imò gaudere quiuis hiſce periculis viſus, & ambire vulnera audentis pro fide animi argumenta. Sanguine ſuo, id eſt, fidelium ſuccreſcentium ſemine, agros ad fertilitatem maximam conſeri non dubitauit. Leue tonitru, fulmenque induſtrium agricolam

ab

ab opere non abſtrahit. Hetærium

'' *Si fractus illabatur orbis*

'' *Impauidum ferient ruinæ.*

Quanta in naſcentem huius familiam ab Orientalibus prę-ſertim Indis coorta tempeſtas! quam lethale fulmen in multos vibratum! quam ad hoc excipiendum ſtetêre interriti! Prior victorioſa clade in Oriente occubuit Antonius Criminalis Hetærianorum Martyrum primipilaris, quem deinde Ribera, Mendez, Lopez, Maſcaronias, Fernandez, alijque plurimi magna contentione vincendi ſunt inſecuti.

In his tamen Orientalibus Palæſtritis Ducum Atrienſium ſoboles Rudolphus Aquauiua ſanguine profuſo quam accepto nobilior omittendus nō eſt. Hic quatuor eiuſdem familiæ ſocijs Pacieco, Berno, Franciſco, & Aragna Goanę obibat Prouinciæ Inſulam Salſetidem, loca baſilicis Diuorum Crucisque trophæis erigendis opportuna diſpiciens. quæ res Barbaros iam ante Luſitanorum contentionibus exacerbatos, neque hanc Deorum ſuorum ruinam ferentibus, magnâ indignatione ad inſidias & arma conciuit. Primus eorum in anteſignanum Aquauiuam impetus fuit: cui athletæ, ne cōtra interritus ſtaret, vtramque tibiam immani crudelitate præſecuêre, ipſe tamen ne cadere animo putaretur, corpore in genua erecto ſtando quantum liceret, mori voluit, quin & collum pectusque ad ictum nudata explicans, hoc illudq; geminato ictui impauidum prębuit, tot vnus vijs mortem paratus excipere, quot membris vitam

receperat. Paciecus genere, ætate, professione, virtute, ipsa denique morte par esse Rudolpho meruit. generosissimo primum pectore admisit ferrum, manibus subinde decussatim, oculisque in cœlum, quo anima sequeretur, erectis; alterum iugulo excepit ictum, & cadens terram corpore, animo sidera occupauit. Bernus mactati nuper Numinis, Vaccæ nimirum à Barbaris pro Dea cultæ, auctor, crudelitatis in se exercitę incapax vno corpore atque vitâ vnâ, nimium angusta tot iniurijs, videri poterat; caput ipsius primum ferro laceratum est, & auulsæ cruentâ lanienâ partes, suffossi oculi, ac deniq; ne mortuo quidem parcitum. Animosus vates ista, cùm nondum sentiret, viderat; solitus prædicare Coculinos suo cum sanguine fidem bibituros, ac consuetæ crudelitatis gustum deposituros. Reliqui duo Franciscus & Aragna non minori fortitudinis laude succubuêre, hic etiam inter vitæ mortisque angustias adhucdum palpitans, in fanum insigni ludibrio circumque Idolum raptatus, atque ad infamem cultum prouocatus, cum ad sceleris indignationem velut iterum respirare ac viuere cæpisset, copioso sagittarum imbre vix deniq; oppressus est. Ita hi Orientem moriendo illustrarunt; plerique in ipso ætatis flore trigesimum circiter annum nati, cœlo tamen iam tum virtute maturi. Non se continebat Litholeon ad tantæ rei admirationem, sed velut ad auctores tam bruti fulminis versus, hoc carmen effudit:

Iam frustra Siculis agitas incudibus ignes

Flam-

Flammarum Vulcane parens, absiste labori,
Et Brontes Steropesq́; vacent: quid fulgura nimbis
Ingeris, & cæcis misces caua nubila flammis?
Heroes nihil ista mouent. tua tela feruntur
Irrita, & imbelles malè cogis ad arma procellas.
Laurea serta gerunt, quotquot Themis armat in hostem,
Fulminis immunes. multo iam teste probatum est
Virtutem vis nulla premit. si carcere merges
Ventorum, aut nigro, tonitru quo cudis, in antro,
Fortior emerget, fœdisq́; nitescet in vmbris.
Hæc surgit calcata magis. Sic Nardus odorem
Pressa refert: sic palma graui sub pondere surgit:
Sub tenebris magè stella micat: post nubila Phœbus
Gratior, optatosq́; facit nox Memnonis ortus.

Hæc cum auidè exciperem, aduerti proximè ad montem, cui accumbebat hortus, Iridis arcum, colorum varietate & miti quadam solarium radiorum aspersione multò iucundissimum. Bonum serenitatis, exclamo, nuncium! cœlum pacis fœderisque initi meminit. Vespertinus hic, & sub tempestatem fugientem, arcus ostēditur: excussa sunt tela, nihil deinde metuendum: triumpho is nunc, quam bello est aptior. Mnemon deinde Iridis naturam, causasque postulatus, paucis docuit, tenuiores has esse nubes quæ rorante iam, & ex lapsa, aut secutura adhucdum pluuia madescente cœlo, aërem latè occupent, atque exceptos incurrentis in se solis radios varia reflexione attemperatos, ita spectan-

tium oculis obiiciant: vt hinc lutescere, inde purpurascere, alibi ignescere, viridique ac cærulo colore supra omne artificium depingi videantur. Aristidem certè pingendi imprimis artificem hanc Iridem imitatione exprimere conantem penicillus ingeniumque destituit. Cum æmulatione quadam Litholeontis excitatus his versibus Iridem appellaui.

Plin. l. 35. c. 11

Virgo triumphalis, rosei Thaumantias oris,
Nimborum soboles, tempestatumque sequestra,
Ad pacis decreta nouæ, pulcrumque sereni
Omen ades: qualis picto spectabilis auro
Cæruleamque induta togam, Noëtica quondam
Secula lustrasti, sublati nuncia belli,
Interpresque Dei. Nunc te noua causa, fidelis
Arbitra, sanguineique vocant ad fœdera nimbi.
Insontes animæ, proprijsque cruoribus haustæ
Merguntur, tristesque nimis voluuntur in vndas.
Fallor? an hunc tantis victoribus instruis arcum?
Lætitiæque hæc signa geris? quam picta renidet
Gratia? quam raro tibi purpura vernat in ostro?
Quam fusca sub luce nites, tenebrisque serenis?
Cærula quam blando chlamys interpingitur auro?
Tota places, magnique refers monumenta triumphi.
Virtutum hic color est: non hæc de murice vernat
Purpura; testatæ fidei vestigia portat,
Martyrioque rubet. Radios quos nube latentes

Obte-

Obtegis, & varios pulcra ſub luce colores,
Hos diuinus amor finxit, virtusq́ colorem
Multa dedit.

Probauit hanc opinionem Mnemon, &, ceu nouam dicenti materiam ex eodem facturus argumento; monuit, Iridem mellis eſſe aërij genitricem: Aſpalathum etiam pluresque herbas odoriferas propagare: aliarum in terræ velut amplexu prima affundere ſemina: aliarum virtutem & gratiam amplificare. Vnde, cum huic monti crebrius accumbat, multis illum raræque efficaciæ herbis abundare. adeò vt Phœnix montium odoriferorum appetens deſertis Arabię locis, hic ſedem fixerit. Et ne, inquit, admirandæ huius volucris ingenium neſcias. Vnum eſſe toto orbe Phœnicem communiori hiſtoricorum ſententia receptum eſt. Qui Veneris connubijq́ue expers: Plin. 12. c. 24.

" *Non epulis ſaturare famem, non fontibus vllis*
" *Aſſuetus prohibere ſitim; ſed purior illum* Clau. in Phœnice.
" *Solis feruor alit, ventoſáque pabula libat*
" *Tethyos, innocui carpens alimenta vaporis.*

Sexcentis tamen ſexaginta annis primò conſeneſcens, caſiâ thuriſque ſurculis nidum conſtruere, illoque odoribus repleto immori perhibetur: poſtquam vt ferunt, alarum plauſu virgulta medijs ſolis ardoribus ferueſcentia ſuccendit, nido in buſtum verſo. Ex cuius deinde oſſium medullis enatus vermiculus ſenſim accrementa formæ ac plumarum Phœnici ſimilium aſſumit: ſepulchrum pro cunis na- Clau. Plin. l. 10. c. 2.

ctus " *Hic*

" *Hic neque concepto fœtu, nec semine surgit;*
" *Sed pater est prolesq; sui: nulloq; creante*
" *Emeritos artus fœcunda morte maritat.*

Symbolicâ hac volucre medio in rogo mortem implorante delectata memoratur, Bona Galeazij Mediolanensiũ Ducis Mater (vti & Helionora Austriaca Francisci Gall. Reg. vidua) Cum lemmate: *Sola Deum sequor.*

Addidit Etesius Aquilæ idem penè beneficio aquarum, quod solis munere Phœnici, ad ætatis innouationem euenire. Siquidem illa vbi iam oculos senectute hebescere, grauarique corpus pennis tardius obsequentibus sensit, passis sese alis ter fonti gelido immergit, sensimque ad iuuentutis vigorem redit. O felices, exclamat, auium Reges & Reginæ Phœnices & Aquilæ, quam dulce funus est, in qua mors sepelitur, vita nascitur! Martyres, vestrã felicitatem testor, & vitales exequias, seu vos flamma, seu mare renascẽtes tulit. Mors hæc est quæ premit, nõ perimit: per quam ire nõ perire tam nobiles rogi exuuias, animas immortales, videmus. Vos planè hi estis Phœnices, qui in sacro hoc Soterij monte nati, educatique, Veneris connubiorumque expertes, lumine illo diuinitatis cœlestiumque gaudiorum rore mentem pasti, vitam modò viuitis sine morte: iuuentutem sine senio. Non possum quin breue illud Phœnicis Genuensium nobilissimi Caroli Spinolæ Genethliacum attexam. Illius, inquam, qui post collectam virtutum odoriferarum inconsumptibile bustum, rogum moriturus (an victurus?) conscendit.

ſcendit. Collegerat hic ſibi herbas fragrantiſſimas, zelum incredibilem, quo Meacenſes inprimis, ad ſalutis fideiq́ue conſilia impulit: orationis indefeſſum ſtudium, odorem Superis gratiſſimum: laborum atque ærumnarum tolerantiam admirandam, quam ipſe flagellis ieiunijsq́ue quotidianis, ceu aceto & ſale recreabat vulnera. Hæc ſupra fidem penè & humanam conſuetudinem auxit in quadriennali carcere. Denique amore flammas animo; Lictoribus corpori ſubijcientibus, nobilis hic Phœnix Nangaſachi immortalitatem moriendo induit:

Naſcere Phœnicum noua gloria Spinola, cœlo
Naſcere, vitaléſque rogos, mortisq́ue ſepulchrum,
Et vitæ monumenta ſubi. Iam buſta paraſti
Congrua, odoriferis latè redolentia campis,
Excultis virtute tua. Metis iſta tuorum
Præmia ſudorum: meſſem modò collige myrrham,
Hæc buſti pars maior erit. compone ſenectam
In tumulum, cunáſque nouæ diſpone iuuentæ.
Te video, ô Phœnix fortunatiſſime, flammis
Adſtantem medijs, vultúque oculíſque perennes
Solis anhelantem radios? Iam ſupplice cantu
Vox cœlos animúſque petit; rapiúntque dolorem
Lætitiæ, cadítque minor maioribus ignis.
En flammarum vndæ metuunt, circúmq; feruntur
Et lambunt leuibus ſtantis primùm ora fauillis.
Pro te ſollicito natura laborat in æſtu

Ne noceat furor iste tibi, ne corporis vltra
Septa ruat, fortémque animum violenter adurat:
Hoc vitæ est non mortis opus: sine funere funus,
Et lethum natale tibi: comitaris euntem
Astra super flammam, faciliqúe hac vteris alâ.

Iaponiam, Mnemon inquit, suo hic Phœnix busto illustrauit: quæ terra frequentioribus etiam quam Orientis India Martyrũ vestigijs est notata. Antesignani fortissimæ huius cohortis prima istic triũphantis fidei vexilla Crucibus suffixi erexêre Paulus Michi, Ioannes Goto, Iacobus Ghisai. Hos deinde labentibus annis Spinola cum aliis octo eiusdem familiæ sociis, Sebastiano Chimura, Petro Zampo, Michaële Xumpu, Gõsaluo Fusai, Antonio Kiuni, Thoma Acafoxi, Ludouico Cauara, Ioanne Ciucoga est insecutus; crudeli lentoque flammarum supplicio, funestissimo cõsilio, ita deuoti, vt vinculis cadentibus impares pœnarum animi ad fugam atque libertatem possent respicere; sed suis illi columnis stetere firmiores, nec aliunde ad fugam, quàm quâ cœlum adirent, prospectabant oculi. Chimura certè post Carolum spectaculum Barbaris fuit admiratione plenissimum, quod trium horarum spatio medios inter ignes homo mortalis, libertate proposita, immobilis, infractus, nulloque doloris argumento persisteret, & ante amitteret vitam, quàm constantiam. Enimuero efficaciori exemplo triginta amplius Christianorum millibus, qui spectatum affluxerant, fidei nostræ veritas persuaderi non poterat.

Firandi

Firandi eodem tempore, quo illi Nangaſachi, parem ſibi inter flammas conſtantiæ laudem vendicauit Camillus re & nomine Conſtantius. Rogo ille fumanti flagrantique impoſitus, pœnarum mortiſque incumbentis negligens, hoc æſtuante maioribus incendijs animo ſpectabat, vt de tanto numero aliquos vitæ moriens aſſereret; proinde nationes diuerſas diuerſis affari linguis, Diuos fidemque à ſe traditam, atque hanc, quam pro veritate poneret, vitam teſtari cœpit, aliam nullam eſſe, quam quæ Chriſtum agnoſceret, ſalutis doctrinam: quo dicendi ardore ita Iaponenſium animos occupauit, vt quem eripere flammis non poſſent, hunc fomentis ignium ſegnius admotis, dum liceret orantem audirent; donec is tandem cum voce vitam profunderet. Quid nũc Nauarrum, Sandoyum vtrumque, Carauallium, Angelum, Torrem, Pantum alioſque ijſdem flammis lociſque conſumptos memorem? nulla profectò eloquentia par eſt tantæ animorum magnitudini. ſuprà mortalem eſt, mortem & flammas contemnere.

Æſtuabam iam flammis ego alijs, quas æſtatis calor toto corpore, atque inprimis areſcentibus in faucibus, excitârat. Cùm ad pedem montis Calotherus in viridi planicie fontem oſtendit, dolio terræ ingeſto, concluſum, qualem ferè Treueri in amœna valle poſſident. Hic, vti amariores lymphæ de terra natæ aſſolent, acriori bullientique efferueſcebat ſcaturigine, facilè mihi præſertim ſitienti erat perſuaſum, non niſi ſalubribus illum aquis exundare. Quare

pilei ora in canalem ducta, cùm pocula deessent, excepi viuos aquæ latices: qui, perinde vt argentum recèns fusum, vitro omni pellucidiores fluebant in hoc meo carchesio. neque tamen diu mecum de colore disputabam; sed saporem arbitrari cœpi, tanta auiditate, vt cum haustro meo sæpiùs in fontem remisso, oriq; applicito finem non facerem, Calotherus inducias pro suo fonte ac meo ventre postularet, ne aut illius carinā exhaurirem, aut huius mergerem. Substiti interquiescens non tam rogatus, quàm cōpulsus; quod iam in cerebrum magna vi euaporarent aquæ, naresq; tanto acore constringerent; vt oculi, ad narium tormentum, distillarent lacrymis, & pectus totum mordaci illuuie distringeretur. Sed mirum quanta hanc intemperiem, haud longè post, corporis totius, animiq; serenitas sit insecuta: vt iam penè supplicarem siti, rursum vti adesset, tantâ voluptate recreanda. Quàm, inquit Etesius, verū dictum: *Nullum mel sine felle, & fel sine melle,*

,, *Dulcia non meruit, qui non gustauit amara.*

Amara res sitis; sed vt potus dulcedine insigniter oblecteris, illa amaritudo antè est deuoranda.

Alios habet Iaponia fontes calidos gelidosque, ex quibus Martyres de Hetærij familia bibêre. Res est admiratione plenissima, quæq; sua raritate vix fidem meretur, reperiri istic fontes tam atroci calore æstuantes, vt omnē ignis liquidique sulphuris ac metalli vim & torquendi acrimoniam superent, atque hoc vno damnatorum incendijs similes videan-

deantur, quod nocendo non absumant, sed immersum aut circumfusum aquis hominem acerrimis lentisq́; doloribus conficiant, carne, neruis, ossibusq́; nonnisi sensim exesis ac diffluentibus, atque ad alia aliaq́; supplicia certis interuallis repetenda diu integris.

Adde his noua & inaudita hactenus aquarum tormenta, quibus Iapones Martyrum constantiam obruere sunt conati. Gelidis aquis per collum affusis totam alui humanę capacitatem explent, ac deinde supino in terram homini insultantes, aut vinculis medijs vterum coarctantes, cum ingenti obluctantis naturæ conatu aquas per os, nares, aures, oculosque exsultantes regerunt, venis neruisque tam atroci impetu sæpè fatiscentibus. Et vt ingeniosam crudelitatem agnoscas, mille vias aquis nocendi reperiunt. alios pedibus suspensos collo tenus vndis mergunt, vt capite inter aquas hærente aër grauissimo tormento inter præcordia exæstuet, spirandique difficultate natura tota conuellatur: aliorum medio aëre pendentium ora affusis identidem aquis obruunt, vt ijsdem cum doloribus luctentur, nō tamen penitus succumbant. nonnullos cauatæ scrobi serpentiumque ac horridorum animalium plenæ, pectore tenus atque obuerso immergunt capite, vt sensim in tam fœda lucta pugiles fortissimi consumantur. quo supplicio non ita pridem viginti Hetærianæ familiæ heroes periêre, quos deinde proximis annis nobilissima victoria est insecutus Mastrillus, cuius vobis tumulum priusquam hinc absceda- Anno 1633. Anno 1637.

mus exhibebo. Nimirum hæ ſcrobes & aquæ exæſtuantem illũ in Heterianorũ pectoribus amorem, quo diuinæ gloriæ ſalutiſque humanæ ſtudiũ affectantur, obruere nequeunt. Teſtatur id ex hac familia fortiſſimus pugil, qui vbi quintum iam diem in tã crudeli ſuſpendio duraſſet ſuperſtes, de illâ quam potiſſimum inter tot calamitates perſentiſceret moleſtiâ quæſitus, aliud ſe nihil dolere reſpõdit, quàm quod totam nondum Iaponiam Chriſto Duci aſſeruiſſet.

Hęc de Oriente hactenus. Quod ſi Occidentem atque in eo Braſiliam inprimis luſtremus animo; non fontes modò, ſed & vaſta maria Hetærianorum pro fide occumbentium ſanguine purpurata mirabimur. Ignatium Azebedum cum triginta & nouem eiuſdem familiæ Collegis Braſiliam cogitantem tam glorioſa palma haud procul Palmâ Inſulâ prę-occupauit. deſtinabat has ipſe copias Braſiliæ; ſed à Pirata Iacobo Soria Hugonotticæ factionis homine iuratoq; Hetærianorum hoſte interceptus, non ad aliam magis commilitones pugnam, quam pro fide ſuſcipiendam excitabat: ipſe in prima ſtans acie Deiparæ imaginem ceu vexillum omnibus præferebat, quod ne moriens quidem inter aquas dimiſit. Ita occurrens hoſti ferrum in capite ac deinde pectore recepit fortius, quàm latro infligeret. alij deinde atque alij inter preces, fideique teſtimonia occubuêre, Soria identidem ingeminante, pereant Papiſtæ, pereant. Omnia in eis crudelitatis experimenta habuêre perfidi, præciſa alijs, alijs colliſa atrociter crura, atque in odium Religionis abraſi

cum

cum cute vertices: quidquid indignatio & inhumana rabies potuit, auſa eſt. vnum denique omnibus ſepulchrum mare fuit. Alia nauis quindecim eiuſdem familiæ Agoniſtas vertente eodem anno eâdem in viâ, inter eiuſdem coniurationis hoſtes deſtituit, eâdem denique coronide glorioſos, ſi tamen duos in mare excuſſos ac nando incolumes exceperis. Quod ſi porrò ex Æthyopia Sylueriam, Arabia Maronitã, ex Florida Seguram & viginti alios, ex Paraquaria Mendozam pluresque tantæ gloriæ æmulos adduxero, finem non inueniam. Omnibus vnum hoc propoſitum fuit.

Momentaneum quod cruciat, æternum quod delectat.

Lachrymis vix imperabam, violentiâ quâdam ad hanc narrationem in vultũ erumpentibus. Quod vbi aduertiſſet Eteſius, abſtinuit prolixiori quam parabat hiſtoriâ, & rectà ad Pyramidem, quæ modico in colle ſurgebat ingens, nos præiuit. Ampliſſima huius erat moles, illique quam in Ægypto Bellonius vidit ſimillima. Baſim in quadrangulum directam paribus ſingulorum laterum habebat interuallis, quæ erant trecentorum viginti & quatuor paſſuum. In altitudinem aſſurgebat gradibus (quorum ſinguli quinque ſolearum erant) quinquaginta ducentis. Eius faſtigio ſagittarius inſiſtens, etiamſi validiſſimè telum extorſerit, hoc tamen extra molis baſim nunquam decidit; ea eſt operis vaſtitas tãtumq; ſenſim in altum vergentis acumen, quo per circumductos extrinſecus gradus peruenitur. Incognitis mihi ad Orientis partem figuris ſignabatur Pyramis; quas cum Hierogly-

Bello. l. 2. obſeruat. c. 42.

roglyphicas Ægyptiorum eſſe haud difficulter conieciſſem: de interprete diſpiciebam, cum Mnemon ſingulis ferè literis ſingula exprimens verba, Romanâ linguâ ita vertit:

HÆC PYRAMIS
IGNEA MORTALIVM INCLVDIT PECTORA,
GLORIAM COMPLECTITVR IMMORTALIVM,
OCCVMBENDO VINCENTIVM;
MORIENDO VIVENTIVM:
SAPIENTER NEGOTIANTIVM.
QVI PRO INFIDELITATE FIDEM,
PRO IGNORANTIA SAPIENTIAM,
VIRTVTES PRO VITIIS,
PVLCHRAS INVEXERVNT IN ORBEM MERCES,
ORBEM EXTVLERVNT IN COELVM.
QVI VITAM DENIQVE SVAM PRO MORTE PERBREVI
MORTEM PRO LONGA COMMVTARVNT VITA,
SEMEL MORTVI, SEMPER VICTVRI.
FACILI HEC OMNIA MERCEDE PARATA SVNT.
BREVI INOPIA OPES PERPETVAS,
HONORES COEMERVNT DESPICIENTIA,
DOLORIBVS GAVDIVM:
REM MAGNAM IMMORTALITATEM
PARVO PRETIO,
SANGVINE.

Dum hęc legimus & miramur, Hemerus de imperio Calotheri ignem ſilice excuſſum facibus adhibuit, eas iam ardentes in ſingulos diſtribuens; vt hac luce Pyramidem nullis feneſtris ſubiremus. Ingreſſi per anguſtum obliquumq́; foramen, inibi velut atrium reperimus; vnde in varias Pyramidis

midis partes ac Martyrum conclauia, per meatus pergularum affabrè elaboratos patebat aditus. Quatuor Mundi plagis secta quadripartitim Pyramis monumentorum respondebat ordine; Orientem occupabant illi heroes qui ex Hetærianis effuso pro fide sanguine, hanc orbis regionem illustrassēt; Meridiem, qui in Æthiopia atque Arabia: Occidentem, qui in Brasilia, India, Florida, Mexico, Paraquaria: Septentrionem, qui in Suecia, Polonia, Germania, Gallia atque inprimis Anglia pari gloria occubuissent. Nos igitur cum popularium Europæorum honori impensiùs fauentes videret, huc omnes adduxit, vbi eorum fata propiùs liceret contemplari. Primus Anglorum Agonistis, & numero & fortitudine præstantibus, locus ad Septentrionem tributus erat. In hoc Edmundum Campianum Athletam primipalarem Principem aulam obtinuisse vidimus: in qua marmorei parietes, velut tapetia in ipso lapide, elaborata exhibebant schemata. Stabat Campianus inter nouos Euangeliorum architectos scopus vnus omnium, in quem promissa, minas, ludibria iacerent. Ex vno herois latere varij varijs pœnæ tyrannidisque instrumentis adstabant lictores: ex altero purpurata & procax mulier, ac Episcopalis mitra ad Diuorum perfidiam doloso præmio inuitabant. Adiectum erat hemistichium,

Vt rupes inter vtrumque.

Hic, inquit Mnemon, Athleta in Anglia vbi sanguinem nascens hauserat, moriens profudit, tanto patriæ amore vt

ſuâ illam vitâ viuere cuperet. Ex Hetærij, cui adlectus erat, familia huc venerat, patriæ ab vltima pernicie ad ſalutem reuocandę ſtudio: ſed confirmatis iam erroribus multis illi ad expugnandos veritate animos machinis opus; proinde illâ, quâ ad miraculum pollebat, eruditione cominus alios, plures eminus ſcriptis pro fide rationibus aggreſſus eſt; eo ſucceſſu, vt Eliſabetha tyrannidi abs ſe in Eccleſiâ occupatæ metuens, magnâ præmiorum ſpe ad tanti capitis proditionem ſubditos inuitauerit. Vnde perfidiosè ab Apoſtatâ traditus, omnem fortunæ atque iniuriarum vim fortiſſimè ſuſtulit, omni ingenio, dolo ac crudelitate maior. Promiſſis quamprimum pugnatum eſt, Archiepiſcopatu Cantuarienſi ac nobiliſſimis propoſitis ſponſalibus, ſi cum Regina ſentiret, quę tanti fauorem Campiani emeret. Iſta contemnentem nequicquam obiectis primò, deinde & adhibitis atrociſſimis quibuſque ſuppliciorum inſtrumentis frangere ſunt conati, ac tanta crudelitate dies noctesque abſumpſerunt geminas, luxatis conuulſisque membris omnibus, vt, ceu laniatum & exanime cadauer, in terram deflueret, & nihil iam in toto homine ſupereſſet integrum præterquam animus, alia nulla inter omnia tormenta vox quàm IESVS & MARIA. Ita fractum ad publicum de fide ineundum cum Anglorum doctiſſimis certamẽ pertraxêre, hâc additâ cautione, ne quod ipſe argumentum in aduerſarios torqueret, ſed ſola obiectorum propulſatione ſeſe tueretur. Tantâ tamen gloriâ in hac arena certauit, vt ſemianimi licet voce, ratio-

rationum veritatisque suffragio omnes fregerit, complures, in quibus & Arondeliæ Comes, Orthodoxis adiunxerit, alios confusione plenos dimiserit. Præmium victoriæ mors inhumana Campiano fuit: siquidem ad suspendium damnato, cor adhuc spiranti euulsum, ac reliquum corpus partitim sectum, crudelitate istic quidem vsitatâ, sed quâ Angli dæmonibus quàm Angelis propiores videri possint.

Haud procul alia in aulæ parte Henrici walpoli monumentum visebatur, qui Campiani morte ad idem vitæ institutum, eundem patriæ restituendæ zelum, eandem denique mortis lauream est prouocatus. Quaterdecies hic post triennales eosq; fœdissimos carceres ad quæstionem, atrociori quam pro homine supplicio, est adhibitus, viuus adhuc vixque laqueo hærens sectus, suo sanguine ipsis etiam fidei hostibus ruborem excussit, & gemitus. Robertus Sothuellus pari diuturnitate in carcere vixit, pari fato occubuit. Ita præter Thomam Cottamum, Iacobum Bosgrauium, Alexandrum Briantum, Odoardum Olcornum, Rogerium Filocum, Franciscum Pagium; Henricus Garnetus cum fratre Thoma lumen Angliæ, Ioannes Ogilbæus Scotiæ, Dominicus Collinus Hiberniæ gloria, mortem oppetiêre, omnes suis monumentis atque honoribus amplissimo hoc in loco illustres. Iuxta Garnetum spica memorabilis apparebat, quæ labentis ex alto sanguinis guttam exceperat, totumque Martyris vultum (qui post mortem etiam inuiolato decore perstitit) viua imitatione red-

debat, ſtellâ in fronte adiectâ, vt conſtaret quis poſt fata etiam Garnetus eſſet. Appoſitum lemma erat

Superi artem, Garnetusq; colorem Sanguine purpureum dedit.

Ogilbæus alia parte inter proteruam Satellitum raptabatur manum, elidebaturque de loco in locum, capillis petulantiſſime ſpoliabatur; alius ſordes; ſordidiora alius verborum ingerebat ludibria. Ipſe ridenti ſimilis hoc ſolum dicebat. *Iuuat iſte iocus, vos ludite.*

Collinus magna ambitione Reginæ atque amicorum, ſimulationem tantiſper ſuadentium, à fidei mortiſq; conſilijs nequicquam auocatus, ſtabat laqueo in collum inſerto tanquam aureo vellere à Cœlitibus donatus, iamque ſcala præceps ibat, hac inſcriptione lætus:

Moriar vicinior aſtris.

Multitudo rerum ſpectandarum ac magnitudo nonnullos ex nobis laſſauerat: Quocirca quieti capeſſendæ reficiendiſque viribus intenti. Curſim alia quædam Diuorum ſepulchra adijmus nomine ſolo, ac pugnæ loco tantorum heroum contenti. Germaniam ſuo occumbens ſanguine notauerat Godefridus Thelen, Galliam Martinus Guttierez; Iacobus Saleſius, Guilielmus Saltamochius: Luſitaniam Emanuel Fernandez: Petrus Venuſtus Siciliam: Martinus Laterna Poloniam: Emanuel Niger & Georgius Bartholomæus transſyluaniã. Alium eiuſdem familiæ quaternionem Nicolaum Mercatorẽ, Matthiam Vitriarium, Ioannem Eſthoum & Chriſtophorum Spotecum Sueci-

cus

cus carcer absumpserat, omnibus sua erat monumentorum gloria. Et hi quidem hoc titulo vtebantur:

Media inter frigora maior Heroes hos vssit amor.


Classicâ iam voce ad exitum proclamabat Etesius; spectaculisque hinc inde adhærescentes noui cuiusdam trophæi nuper erecti promisso secum traxit. Ergo via leniter ad Orientem, quà etiam patebat exitus, flexa; illustre erat monumentum Marcello Marstrillo Neapolitano heroi post mille sexentos triginta & sex à Christo annos excitatum. Admirandæ hoc continebat patientiæ exempla. Primi marmoris emblemata ab ipso mortis articulo reuocatum Marcellum Apostoli Indorum ope ad vitam valetudinemque exhibebat. Alterum marmor à Iaponibus, vinculis adstrictum pedibusque suspensum, atque iterato sæpiùs ex fune præcipitio in aquas mersum ostendebat. Alio denique in lapide hinc nudus candentibus laminis vstulabatur: inde in foueam serpentibus plenam obuerso immissus capite quatridui, vt Etesius aiebat, vexationem tulit, maiori miraculo quod verbum doloris nullum, quàm quod vitam tormentis non dedisset. Ad frontem monumenti gladius Lictori ad ictum intento exciderat, obstupueratque pendens in aëre brachium. Iuxta tamen idem Carnifex ad Martyris imperium, ceu datum signum, ense resumpto caput abstulit. Hæc erat adnexa Epigraphe

Feliciter nauigauit, qui ita in portum appulit.

Sic denique conclusit Etesius: Hetærij familiam Marty-


eſſe palæſtrã. In qua primùm velut in Martio campo ad palum exercitatio, leuioresq́; contra impatientiam & doloris fugam velitationes inſtituantur; mori etiam in vita ſenſuumq́ue affectionibus abire docentur pugiles, ac deinde in arenam atque aciem educuntur. Ab hoc inſtituto tot tamq́ue nobiles vnius ſeculi manare victorias, in quo plures cenſeantur Martyres quam anni, plures Martyrum virtutes quam dies.

Hemerus iam moræ impatiens de quiete interpellauit orantem, ac perſuaſit reditum; Nos etiam Eteſium ſecuti hoſpitali tecto ſucceſſimus, ac dulci præteritorum recordatione mentem, famem epulis oblectauimus.





Sat FRVCTVS monſtrat, qualis ſit HETÆRIVS, Arbor:
Quâ vi BRVTA trahat pectora, PLECTRA docent.



AVTVMNVS ANNI SECVLARIS SOCIETATIS IESV.

SEPTEMBER

PERFECTIONEM INSTITVTO propriam complexus.

Postera quando dies primo surgebat Eoo, 3. Æneid.
Humentemq́; Aurora polo submouerat vmbram,

NOs iter eo tempore iucundius auspicati, ab Etesio in via edocemur, ad Opori nobis pomarium iter esse, nec admodum longum. In illo, vti, & in vineâ deinde, ac venatione nobis vberes, ac nobiles fructus exhibitum iri ab Hetærianis elapso hoc seculo partos. Quorum alij in Hetærium ipsum, & eius familiam, alij in proximum Orthodoxum, alij denique in auitæ fidei hostes redundârint. Ac in pomario quidem visuros, quâ contentione Hetærius cum suis ad conformem instituto sanctitatem, perfectio-

fectionemque aspirârit; in vinea vero, quæ eximiæ charitatis opera in fidei Catholicę consortes contulerit. In venatione deniq;, qua ratione Acatholicos ad fidē perduxerit. Nam Heterius, inquiebat, amplo, & grandi pectore vtrumque orbem, & omniū mortalium salutem cōplexus memor Tulliani illius: *non nobis solum nati sumus.* Et huius Platonici: *non sibi soli se natum homo meminerit, sed patriæ, sed suis*; penitus sibi persuasit, se orbi Christiano, & toti hominum generi natum esse: ideoque sedulum, & penè vnicum eius studium totâ iam annorum centuriâ fuit, de omni hominum ętate, sexu, genere, sorte quam optimè mereri. Imitatus igitur agricolam illum apud Ciceronem arbores seuit, suo nempe in pomario, quæ pluribus seculis prosint. Cùm verò prudens charitas ducto à se initio êa sibi imprimis comparet, quæ deinde cum alijs communicatura est, in eo inprimis totus fuit, vt se, & suos earum virtutum subsidio communiret, quæ ijs necessariæ sunt, qui aliorum saluti consulunt, & eas nobis pomarium in suis arboribus exhibebit. Rectè hìc ego inquiebam, Etesi, fructus in fructibus, & quidem in iam enumeratis proponuntur. Nam poma inprimis & vuas congruenter Oporo assignari disertè declarat Venusinus vates dum canit.

——Cùm decorum mitibus pomis caput
Autumnus aruis extulit;
Vt gaudet insitiua decerpens pyra,
Certantem & vuam purpuræ!
——

Nec

Nec venatio, excepit Orarchon, minus opportunè Oporo conuenit. Nam, vt sileam Nouembrem eius in Dianæ tutelâ esse, Chiron inter astra id temporis suo cum arcu refulget propitium venatoribus sidus, quos velut in venatum etiamnum impellit: vt olim Heroas, & semideos, quos teste Xenophonte venandi præceptis imbuit. Ea quidem causa, subiecit Litholeon, minimè mala est; non tamen potissima, aut sola. Nam ideò ego potissimum venationem Nouembri opportuniorem existimem, quod feræ tum temporis maximam partem Opori fructibus, pomis pyrisque syluestribus, ac glandibus inprimis saginatæ, sint pinguiores: tum quod nec nimius æstus laborem, & cursum impediat; nec ad nimium frigus hebescat.

Odora canum vis.

Nam odor ad sui perceptionem semper odoris aliquid velut pro vehiculo requirit. Hic ego iterum ad Etesium, sed nunquid, inquiebam, fructus non sunt, & quidem præstantissimi, quos iam superiùs apud Earum & Calotherum vidimus? qui videlicet longè vberrimi in proximos ex Hetærij Scholis, Catechesi, Sodalitijs, in Hetærium verò ipsummet, ex singulari præsidum suorum prudentiâ, doctorum exquisitâ doctrinâ, inuictâ Martyrum fortitudine profecti sunt? quæ igitur hic iterum fructuum mentio? Eorum duntaxat, ille respondit; qui alibi non tanguntur. Qui autem ij, & quales sint, videre, quam audire vos malo. Dum hos vltrò, citróque sermones miscemus, iam ad ipsum pomarium ac-

cesseramus. Illud fossa præalta, viuâ & pellucidâ aquâ redundans, & excelsus è lapide murus circuibat. Aditus per pontem sublicium patebat, vtrimque à porta inclusum. In priore insignis quispiam æui nostri Polycletus veterem Pomonam affabrè sculpserat, quam deinde nouus Apelles coloribus animatam penè spirare iusserat. E ramo malifero coronam in vertice, pomum aureum dexterâ, læuâ cornucopiæ Autumni opibus diues gerebat: quæ, aliam nunc ibi Pomonam degere, & pomario præesse, illi antiquæ habitu, vultu, officio non longè disparem, non obscurè indicabat. Ad latera portæ eiusdem Leo accubabat: vterque vt nos vidit, iam erigere se in iras cœperat, audaciam si propiùs adiremus vlturus: At ab Etesio signo familiari monitus, hospites venire Hetærio caros inprimis, non prædones, vultum abblandientem assumpsit. In portæ eiusdem fastigio notum Hetærij insigne æri incisum radiabat. Vbi in ponte iam dicto cõstitimus, Videtis, inquit, præclari Vbiæ iuuentutis Principes, quam Hetærius vester non sine rara laude prudentiæ ad amussim tritum illud ex Ouidio seruet.

Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri.

Quot enim vni huic pomario ab iniurijs prædonum defendendo præsidia adhibuit? fossam benè profundam & latam circumduxit: ac illis quidem in custodiam leones in fraudẽ vigiles, in vim fortes adiecit. huic in excubias binos vigiles (quos paulò pòst videbitis) adiunxit; qui integro iam seculo in sua statione sine somno persistunt, Quibus verò

Vir-

Virgo hæc vnda & cryſtallo ſimilis commiſſa fuit, integrè officio functi eandem penè diligentius in hac foſſa, quam ſanguinem in venis ſeruarunt, quem potius vniuerſum profuſuri fuiſſent, quàm paſſuri, vel guttam hinc alio deriuari. vnde & factum, vt illa centum ipſis iam annis non decreuerit, ſed indies aucta ſit: vt à lutulentis ſuibus, alijſque id generis ſordidis feris turbata, aut fœdata non ſit; ſed etiamnum, vti ab initio, ſpeculi inſtar pelluceat prorſus illimis & argentea. vt deinde illam propter altitudinem nemo quiſpiam impunè hactenus traiecerit. Ne verò has portas vel dolus aperiret, vel audacia effringeret, hi Leones obſtitêre: in quibus nos iuſſit Eteſius Hetærianos præſides intueri Leoninâ vigilantiâ, & animi magnitudine præditos, quoties huius pomarij decus, & incolumitas ita expoſcant. Ne denique aliquis proiectæ audaciæ murum hunc vnquam tranſcenderet, appoſitæ excubiæ in hoc vſque momentum, iam inde ab initio ſurgentis huius pomarij inſomnes Theophobus, & Hetærophilus impediuerũt. Et hinc euenit, ut nihil hactenus prædonum, & furum iniurijs in illud licuerit: Hic ego, quid velis, inquiebam, Eteſi, non obſcurè videor intueri. Regulas, ni fallor, ab Hetærio hactenus ad amuſſim obſeruatas inſinuas, quæ Religioni ſunt, quod vrbibus foſſæ, pontes, & portæ; & earundem obſertionem ſummâ vigilantiâ Præſides vrſiſſe, ſummâ fide, & diligentiâ ſubditos eſſe exſecutos. Vnde duo conſecuti ſint: tum vt virtutes ſtatui congruentès, & neceſſarias ſibi pepererint,

rerint, tum vt iam partas conseruarint. Nihil à vero abludis, Sanouise, Respondet Etesius. Nam id ita esse, satis orbis, satis inuidorum, & hostium oculi testantur: qui licet in Hetærij vitijs tam cernant acutùm,

-----*Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius.*

Hìc tamen quod reprehenderent hactenus nō inuenerunt. Fuêre autem inter Hetærianos legum suarum obseruantissimos, qui, quoad vixerunt, nullam vnquam ex illis animo deliberato transgressi sunt. Nam vt de Aloysio, Bellarmino, Sanchesio, & alijs non paucis sileam, Ioannes Berckmans Diesthemius,

Musas amantis gloria Belgij,

Et Aloysij penè ex æquo æmulus ingenuè Hetærianæ domûs Præsidi Romæ sub mortem confessus est, nullius à se violatæ Regulæ consciencia animum suum vrgeri. Necesse igitur fuit linguam freni alioquin impatientem, oculos aliàs in lapsum naturâ procliues, animum denique in affectus suos concitatum semper in potestate habuisse: nunquam aliquid alterius gratiæ, nunquam suæ minus ordinatæ affectioni, nunquam ingenitæ leuitati, nunquam negligentiæ tantum concessisse, vt animus vellet, videret oculus, lingua diceret, caperet, vel daret manus, quod è regula non esset. Quod quàm arduum sit, & quàm incredibilem in omnibus, & omni loco, & tempore vigilantiam circumspectionemque desideret, is non iniquus æstimator facilè iudicabit, qui probè nouerit, quàm fragilis mortalium natura, &

in lapsus maximè leues lubrica sit. Meminerat iam moriturus Alexander Magnus nunquam ab hoste se in acie victum: meminerat orbem terrarum penè vniuersum bellica sua fortitudine, seu fortuna subactum: meminerat Sicinius Dentatus iam item moriturus, se coronam gramineam, & ciuicas 14. cum immortali numinis gloria meruisse, & ex cxx. præliis semper excessisse victorem. Gloriosum id fateor vtrique id fuit; quia rarum; at, bonâ illorum veniâ dixerim, Berckmanno tanto gloriosius fuit, quam illi vtrique sub obitum meminisse, regulam à se nullam vnquam violatam; quantò difficilius est, & illustrius se ipsum, quam alia, aut alios vincere.

Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit
Mœnia——

Nam in Aiace id Ouidius disertè confirmat, dum ait:

Hectora qui solus, qui ferrum, ignemq́;, Iouemq́;
Sustinuit toties, vnam non sustinet iram. 13. Metamorph.
Inuictumq́; virum vicit dolor.——

Deinde illi nonnisi aliquoties, & sæpè ne semel quidem in anno, hic omni penè momento in acie stetit, & ex continuo certamine, cum plurimis pertinacissimisque hostibus victor euasit. Præclaram enim verò laudem Berckmannum meruisse, libenter, excepit Mnemon, concesserim, cum genuinum se Hetærii sanguinem probarit: nego tamen illi hanc laudem inter Hetærianos singularem fuisse, sed eiusdem socios quam plurimos habuisse. Tales enim præter a-

lios plerique extiterunt ex ſtadiodromis illis, quos infra in medio,& luce ſtatuam. Ac vt ex illis vnum aliquem ſaltem nominem; Franciſcus Suarez fulgidum iubar inter auguſtos diuinioris,& angelicæ ſapientiæ proceres, adeò legum ſuarum omnium etiam minimarum amans, & obſeruans fuit, vt dictitare ſit ſolitus, malle ſe librorum omnium quos vnquam elucubraſſet, iacturam facere, quam vel ſemel illam horæ partem aliò contra regulam auertere, quæ illam iubet conſcientiæ excutiendæ impendi. Quæ vir ille, quem infulâ, & ſapientiâ illuſtres viri æui noſtri Auguſtinum,& eruditionis prodigium appellarunt, in Hetærij, Eccleſiæ, orbis Chriſtiani bonum,& decus doctiſſimo calamo exarârit, nôrunt, qui legerunt: vti & illud coniectu facilè eſt, quantum inde ſolidæ gloriæ ſibi, emolumenti reliquis pepererit. Et tamen vir tantus tanto pluris, his omnibus regularum ſuarum obſeruantiam fecit, vt, ſi vel eorum omnium detrimentum ſubeundum fuiſſet, vel regula etiam leuiſſima tranſilienda, illud præ hoc maluiſſet.

Ab vno

Diſce omnes Germanos Hetærij filios. Admiratus hìc non mediocriter Orarchon, cum regula, inquit Hetærianos ſub noxâ non obliget, vt audire me ſæpiùs memini, Quid igitur eſt, quod eos nihilominus ad tam accuratam legum obſeruantiam impellit? Amor excepit Eteſius, cuius ſpiritu potius duci ſuos exoptat Hetærius, quam timoris. Et eam ob rem tironum ſuorum animis tenerum erga regulas

gulas affectum paulatim instillat, qui sensim cum annis eò roboris assurgit, vt deinceps non facilè aliquid liberius in leges admittat. Nam & hic tritum illud vim suam obtinet:

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.——

Inter ea colloquia mirificè limpidissimæ aquæ aspectu recreabar, in cuius vsque fundum oculi penetrabant, è quo passim candicantes lapilli emicabant: & sol serenior pisces ex imo in altum euocârat; vbi non sine iucundo spectaculo huc, illucque errabant, & velut inter sese lusitabant.

Ægrè inde diuulsus Etesium & reliquos pomarium subeuntes subsecutus sum. In ipso aditu cum

Ante oculos staret, quidquid promiserat annus,

Et indefessa, ac solers arboretorum cultura; amœna se arborum, pomorum, extantis eminus in medio putei, aliarumque rerum facies in oculos infudit. Arborum folijs, ac frondibus lenior aura molli susurro inerrans ea placidè impellebat. Suspiciebamus passim pandos Autumni pondere ramos; arridebant aureoli fructus, arbores in quincuncem erant digestæ, & peramplum spatium occupabant. Ea tamen omnia tum quidem obiter vno velut obtutu aspeximus; post singula inspecturi accuratius. Mox ad murum deflexímus, propter quem ambulacrum erat vmbrosum hinc à muro, inde ab arboribus clausum. Nobis murum è lapide impolito, & aspero, ideoque parum elegantem mirantibus, respondit Etesius; eum, nō vt ornet, sed vt muniat, erectum

esse

esse à laborioso quidem, nec artis suæ imperito artifice, sed qui omnem splendorem exosus, in eo erigendo non magnificentiam spectarit, sed firmitatem: quæ proinde & tanta toto præterito sæculo fuerit, vt murus tot annorum spatio nihil vitij contraxerit, nihil senserit detrimenti, in nullam adeò rimulam vnquam dehiscere sit visus. Idem hoc vaticinium muro suo iam absoluto inciderat,

Stabis irato Ioue maior: vdus
Nube seu ruptâ iaculetur imbres
Siue, quæ Lemni fabricauit incus
Fulmina mittat
Igneus: stabis quoque maior annis
Inuidis magno manuum labori:
Quæ tot arrosit monumenta regum
Dente vetustas
Liuido, parcet tibi: stabis Euri
Impetu, stabis rabie Boreâ
Maior: humana quoque maior irâ
Maior & ausis,
Et dolo celsas fodiente turres:
Æris & maior resoni tonitru.
Nulla vis vnquam ruet, vsque tutus
Æthere stabis.

Facilè notabat Etesius nobis non iniucundum fore, si arcana in eo muro inclusa proferret in lucem: igitur desiderio nostro facturus satis, in suo hîc, inquit, simulacro Hetæria-

na

na paupertas ſpectanda proponitur: quam Hetærianarum legũ conditor ipſemet murum appellauit, eius amantiſſimi ſunt, quotquot Heterius pro ſuis agnoſcit. Quod nemo nõ crederet, ſi oculos non in tecta, quæ ſubinde regia Principum liberalitas, non in Hetærii, ſed ſuam magnificentiam extruit: non in templa, quæ nunquã ſatis, auguſta immenſo Numini erigi poſſunt; ſed in priuata ſingulorum conclauia vbi degunt, ſed in communia Muſæa, vbi ſtudent, ſed in menſam qua aluntur, ac denique in intimos cuiuſq; animos conijcerent. Hìc enim viderent paupertatem, vt matrem ſingulos ex Hetærij ſui imperio ſyncero amoris affectu complecti, nullam placitis eius, ac legibus iniuriam facere, ſed honori eiuſdem pro virili conſulere. Ex plurimis vnum aliquem adducamus in medium é quo Hetærianorum in dulciſſimam Matrem affectum cognoſcamus. Andreas Ouiedus vir, antequam in Hetærij leges iuraret opibus, & honoribus florens; poſt etiam Hieropolitanâ Infulâ, licet diu obnitens, ornatus, à Summo Pontifice ad Æthiopiam Patriarcha miſſus eſt, vt Ioanni Nunnio, item Hetæriano eo in officio ſuccederet. ſed cum illuc præter titulum alia non attuliſſet, breui cum extrema rerum omnium penuria confligtandum fuit. vix erat, non quo aëris iniurias arceret, ſed quo ſe tegeret. Ad Portugalliæ regem Sebaſtianum, & Summum Pontificem Pium V. litteras ſcripturus, plus chartæ non habuit, quàm aliàs vetuſtus codex, aliàs Breuiarium ſubminiſtrauit, vnde tantum extraxit, cui ne-

gotia ad tantas Monarchas commisit. Ipse eâ ætate, & dignitate, vt esset, quo vitam traheret, boues aratro adiunxit, è culta à se terra victum petiturus, quem satis tenuem illa agricolæ non peritissimo dedit. Ne verò ea necessitatis, & nō voluntatis fuisse existimes, inde Goam abeundi potestatem Pontifex fecerat, sed eâ vti noluit: adeo benè genuino filio cum cara parente erat, etiam in tam aduersa fortuna. Imò cum tandem è bobus non nisi vnicus superesset, cui sacram & ad muneris sui administrationem necessariam suppellectilem imponebat, alienæ fami, suæ oblitus, subuenturus eundem in famelicorum solatium iussit mactari. Hic tu manus inspice pedo Pontificali ferendo consecratas iam stiuæ applicatas; vide è Patriarcha agricolam, non inter oues, sed boues versantem, ex summis opibus ad vltimam famem proiectum; & nihilominus in illa fortuna lætum, ac hilarem: quam possit, & nolit cum meliori commutare: & nega Paupertatis amantes Hetærianos. Ne vero hunc vnū talem arbitrêris, illi similia iam dictus Ioannes Nunnius in eodem munere, & in Philippinis Insulis Antonius Sedennius alijque complures apud barbaros tenero ergà paupertatem affectu perpessi sunt. Res à Francisco Borgiâ alijsque plurimis gestas perlege, hìc nihil dissimilia inuenies.

Inter hæc ego adolescentem in muro eodem subtristi, & pallido vultu, & nescio quid serium meditantem conspicatus, cùm quis esset, & quem in finem pullæ tunicæ intextum lugubrem rerum apparatum gereret. quæso te, inquiebam,

bam, Etesi, ecquis tandem hic adolescens? quid ea rerum tam tristium facies portendit? reponit ille Theophobum vocari, pullam hanc vestem, & in ea mortis effigiem, ac extremi iudicij seriem acupictam, caluariam item & ferrum quod gereret, officij quod haberet argumentum esse: à Pomona ex Hetærij imperio eò loci constitutum, vt in pomarii tutelam excubet: neque hactenus in eo officio sopore vnquam obrutum: tanta esse in Hetærium fide. Eundem vt debilior videri possit, si à corporis mole metiaris, quouis nihilominus hoste fortiorem non vnum præclarum facinus edidisse: multas istarum arborum, imò plerasque, sine ipsius præsidio & vigilijs perituras, eius beneficio esse conseruatas. Quandoq; nonnullos audaciâ furentes & fraudibus probè instructos, securibus etiam armatos, quibus citriam, aliasque arbores exscinderent, transmittere fossam, inque murum eluctari conantes, ab eo fortissimè repulsos. Hunc ipsum esse, à quo Hetæriani herbam illam occultæ virtutis in omnia virulentæ Cypridos venena accipere soleant, quam sæpiùs inaudijssemus ab Hetærianis solere circumferri. Et ab hoc ipso accepisse iam olim Petrum Fabrum & Antonium Araozium duo Hetærianæ familiæ eximia lumina, cum eos Hetærius ad Regis Catholici aulam ablegauit, vbi non parum erat à Cyprio veneno periculi: at illo antidoto communitos facilè ab omni periculo perstitisse immunes. Sed quænam hæc tandem herba est, ait Litholeon? nec enim parum nostrâ interest tam præsens in ve-

nena adeo noxia amuletum nosse. Castus & sanctus Etesius reponit Numinis offendendi metus. hoc vigile inprimis defensa hæc poma, nec vim, nec fraudem timuerunt.

Dum interim progredimur & oculos in murum eundem attollimus. Et alium in eodem adolescentem non procul ab altero conspeximus, sed illi vultu, & habitu disparem. Nam aurea cæsaries leniter in ventos fluebat, vultus erat ad omnem hilaritatem, comitatemque compositus, rosas, & amores spirabat. Læuâ pomum persicum, sinistrâ sceptrum gerebat, in cuius apice oculus apertus velut vigilabat. Tunica erat è purpura, quam in medio aureum cingulum varijs gemmis distinctum collegerat. Roganti Orarchonti quis esset, & quorsum ibidem positus, respõsum est, fratrem germanum alterius esse, parique cum ipso officio fungi, quod sit, pomarium à furum conatibus tueri: in eius rei signum oculum apertum in summo sceptro gerere: cętera argumēta amoris esse, cuius genuina sit soboles: ex omnibus Hetærianis neminem esse qui teneriore quàm ipse affectu in Hetærium feratur, à quo proinde Hetærophilus vocetur. Eundem Hetærianis omnibus charissimum esse, & eò quidem cariorem, quo quisque vehementius Hetærium ipsum adamet. Cuius veram amandi rationem soleant ab eo edoceri: & verò nobilem eius institutionis in plerisq; omnibus fructum esse, qui idcircò Hetærium suum ita ament, vt magis, vt veriùs, vt sinceriùs non possint. Hetærian enim, inquit, vtcunque res cadat, quemcunque vultum fortuna assumat,

vbi

vbi Hetærij amor in mentem venit, animum ad æquitatem, ad serenitatem vultum componũt: erga Hetærium amor ipsis pro clypeo est, quo tecti nullo negotio ictus omnes quacunque manu incussos eludunt. Xauerianum illud, memento te Hetęrij membrum esse, altè animo impressum hæret & identidem in ore est; quicunque casus percellat. Luctandum cum duris & asperis? cum maleuolorum obtrectatione, cum hostium odiis dimicandum? toleranda

——*Sitis, ardor, arenæ?*

Frangenda animi vltionem spirantis ira? memento inquiunt Hetęrij te membrum esse, & sanguinem; & iam non Romanum, sed Hetærianum esse, fortia pati: & è vestigio eum vultum induunt, eum animum assumunt, qui virum, qui Hetærianum deceat. Cypris in audaciam assurgit? arcum corripit? tela iacit? vbi illa cogitatio, Hetærianus es, cuius est ad angelicam animi, & corporis puritatem eniti; pro loricâ esse cœpit, iam ictus plumbeus est, & in lanam sine strepitu insilit, nedum cum vulnere. Ad ardua, ad innatæ à natura propensioni contraria, ad longè dissita per varia pericula, per vias asperas altius imperium mittit? solenne suum repetunt: memento Hetærij te membrum esse; cuius est ex alieno, non suo arbitrio viuere, quem fas est imperata facere non discutere; ad omne imperium pedes alatos & manus expeditas adferre. Hinc sumunt, quoties animo magno &

præſenti eſt opus. Et ideo huius Hetærophili inprimis, vti & fratris inſomnibus excubijs & præſidio pomarij opes hactenus ſeruatæ ſunt. Interfatus hìc Mnemon ex vtroque hoc vigile, inquit, facilè quiuis intelligat raram & excellentem Hetærij prudentiam, vt qui per eadem præſidia huius pomarij ſui incolumitati & decori iuerit conſultum, quæ optimus & ſapientiſſimus quiſque rerum publicarum adminiſtrator ad earum conſeruationem adhibere conſueuit; amorem, & metum. Hos, aiebat, quoties iuncti ſint, imperia, regna, prouincias, reſpublicas, vrbes, familias ab interitu & ruina ſeruare incolumes. Quod ſi quæ aliquando corruant, alterutrius abſentiâ id euenire. Solere autem benè inſtituta amore, & metu conſeruari, iam olim illuſtria duo orbis ſidera Pium IV. Pontificem & Carolum Quintum Cæſarem in familiaribus ſymbolis teſtatum reliquiſſe; in quibus alter laurum cum virga, alter Aquilam fulmini inſidentem cum ramo Oliuæ iunxerit. Eôdem ſpectaſſe Antonini, & Neruæ fulmen in toro locatum, & Themiſtoclis Numina, Violentiam, & Suadam, quæ teſtatus ſit apud Andrios vnà ſecum veniſſe, cùm ad eos legatus veniſſet: eôdem binos Democriti Deos, Pœnam & Beneficium. Nam his omnibus clariſſimè indicaſſe ad mortalium animós in officio cõtinendos (in quo rerum publicarum ſalus conſiſtit) nihil ſupplicio, & præmio, metu & amore eſſe potentius. id quod orbis vniuerſi hactenus experientia comprobârit.

Ex

Ex arboribus principe ſe loco videndam malus Indica ſeu citria obtulit. rami felicia poma gerebant; & terſiſſimum ſpeculum cortici eiuſdem erat infixum. Hanc aiebat Eteſius ex ipſo paradiſo illuc tranſlatam à Parthenio, & cultu eiuſdem induſtrio, & indefeſſo ita fertilem redditam, vt quouis anni tempore fructus maturos afferat. Et illud ita eſſe, oculi teſtes erant, qui tum ſimul fructus, & flores, & gemmas protuberantes in ea aſpexêre, & eo nomine biferis Alcinoi malis longè præferenda eſſe viſa eſt, cum illæ duntaxat in anno bis pomis vtiles, hęc ſemper eſſet. Erat cortex in citrijs malis aliquantò aſperior, & in nonnulla tubercula intumeſcebat; ſed cùm Eteſius vnum aliquod cultro diuiſiſſet, & medullam eiuſdem deguſtandam obtuliſſet, optimi ſaporis & ſucci fuit, quem addebat præſens eſſe in venena amuletum, ea præſertim, quæ cæteris nocentiora in Cypro creſcerent. Odorem item non ingratum exſpirabat, quem adiecit Eteſius, ſolere edentis ori infundi, & tineas eodem in veſtibus enecari: hinc in veſtiariis malorum citriorum vſum frequentem eſſe. Quin igitur, ego inquiebam, ad ſocios, aliqua eiuſmodi mala carpimus, domum aſportanda, ſerico & purpuræ per hæc deinceps conſulturi? Cùm idem, vt faceremus, vehementer ſuaderet Eteſius, conſilio eius obſecuti ſinguli aliqua decerpſimus. Tum Litholeon, iam inquiebat, cauſam intelligo, ni fallor, cur Hetærianos tam rarò paphium virus afflare, cur ſermones eorum non allium olere, ſed roſas ſoleãt. Ab hâc enim parthe-

niana

nianâ arbore, & oris ſuauitatem, & à veneno Idalio ſecuritatem, vt video, ſumunt. Ita eſt, excepit Eteſius, nec enim quiſquam ex iis domo egredi auſit, niſi hoc præſentiſſimo antidoto communitus. Quærenti deinde Orarchonti qualis is parthenius foret, cuius curæ adeò nobilis arbos eſſet commiſſa, id ab Eteſio reſponſi tulit. Adoleſcentem Angelicum, aut Angelum potius humanum eſſe, ſic oculos, ſic vultus, ſic corporis habitum, ſic geſtus, ſic ſermonem loqui: quidquid in illo ſit candidum eſſe, nec in veſte, nec in facie næuum vllum, aut atri aliquid apparere: & eũ in finem ſpeculo vti, quod in citro eius videremus. Nam, aiebat, apud vitreum hunc Iudicem faciem, & veſtem identidem emaculat: viâ nec lutoſâ, nec lubricâ incedit, ne in hac cadat, in illâ fœdetur, & veſtium niues atris ſordibus inficiat, quas mallet ſuo ſanguine purpurari. Idem candoris mure armenio amantior eſt, qui tamen ne niueum vellus, quo amicitur defœdet, antrum luto aſperſum non ſubit, licet inde capiendum ſe ſentiat. Nec ſanè iniuriâ: nouit enim Parthenius quantum in ſtolâ ſua theſaurum circumferat: quantum præmium exſpectet, ſi ſordium puram vſque conſeruet. Nouit eam ebore, auro, gemmis, & quidquid orbis pretioſum habet, præſtantiorem eſſe. Idem Hetærianis chariſſimus eſt amorem mores niuei conciliant; nemo eſt omniũ, quin, ſi ita res ferat, libenter pro illo ſit ſanguinẽ fuſurus: qui precioſus eſſe deſijt vbi Parthenij incolumitas poſtulauit; quem Emmanuel Fernandez Ebore in Hiſpania totum pro

eôdem

eôdem effudit; cum in eius defensione à nefarijs veneris satellitibus mactatus est. Ingens Parthenij videndi desiderium in animis nostris erat incensum, sed aiebat Etesius, eum non solere prodire in publicum, nec formam spectantium oculis venalem proponere, posse tamen nos quoquo modo voti compotes fieri speculi beneficio, quod in eius arbore videremus: in eo enim viuam ipsius imaginem relucere: & in eo illud speculum à reliquis differre, quod hæc aspiciẽtium; illud nouo quodam artificio sui heri vultus repræsẽtet. accedo igitur & inspicio, ac emicantibus in oculos radijs diuinæ cuiusdam pulchritudinis plenus admiratione:

Nil mortale mihi videre visus;
O ipsis facies decora Diuis!
Exclamo, nec enim tui vel vmbra
Est, quidquid color, atque penicillus
Iussit viuere seculis vetustis.
O vultus speciose, lilijsq́;
Formosisq́; rosis, venustulisq́;
Narcissis, violisq́; purpuratis,
Et pictis vario colore pratis,
Et cœlo varijs nitente stellis
Vultus pulchrior. Ignium micantûm
Rectrix Cynthia, syderúmque princeps
Titan inuidet, & minor videri
Se, tantóque dolet nitore vinci.
Quod natura sinu capace clausit,

Præstans, nobile, fulgidum, venustum,
In hæc Partheniana fudit ora
Manu diuite. Terra misit aurum,
Pubentésque rosas, eburqúe candens,
Effulgens iubar addidêre stellæ:
In vultus Charis hæc manu magistra
Finxit. Nobile fluxit in capillos
Aurum: sidera poßident ocellos,
Et frontem niuis æmulam serenat
Cœlum innube, sedent rosæ labellis,
Formosisqúe genis, eburq́; collo.
Non næuus, maculæve deuenustant
Augustam faciem, Deoq́; dignam.
Sed qualis fluit vnda virgo ripa
Illimi, sine nube quale cœlum
Arridet, sine labe quale vitrum
Pellucet: sine sorde talis omni
Vultus Partheniј serenus albet.
O puris oculis venuste vultus!

Tum Etesius. Et hæc quidem, inquit de Hetæriana castitate hactenus. Ea autem omnia nihil à vero abesse ad orbis iudicium, & Hetærianorum hostium testimonium prouoco: qui licet in Hetærii vitiis cæteroquin peruidendis lynces sint, nihil reprehenderunt hactenus; quia nihil potuerunt. Nempe hanc pestem amoliturus è veteris Poëtę consilio Hetærius: ——*Ne pars syncera trahatur,*

mem-

membra omnia, Cypria ſanie ſuppurantia, maturo ferro ad viuum à reliquo corpore reſecat. Aliquid hic viſum addere quod ad Hetærianæ caſtitatis laudem eximiam pertinet: ac inprimis eandem in eo citrio malo perſimilem videri; quod, ſicut illud non ſolum in ſe ipſo minimè ingratum odorem complectitur, ſed eundem etiam ori edentis infundit: ita hæc non ſolum in Hetærianorum animis clauſa deliteſcat, & ſpecioſos eoſdem, ac niueos reddat, ſed inde etiam quodammodo pudicis cum ſermonibus egreſſa in audientium, & ſpectantium ſe oculos, ac animos miro artificio inſinuet, & eoſdem viciſſim caſtitatis amore inflammet; columbę ſimilis, alias ad ſe oris odore attrahenti. Inter alios autem complures eâ gratiâ inſignes maximè Cornelius Vishauæus excelluit. Fuit is iam antè egregiâ vitæ ſanctimoniâ, & eruditionis fama inclitus, quàm ad Hetęrianos concederet; quam tamen deinde apud eoſdem mirificè auxit. Ille, quoties de caſtitate ſermo erat, ea erat dicēdi vi pręditus, vt hic perfectus orator crederetur. Fama erat, cui ſeriò vellet, poſſe eiuſdem amorem perſuadere. Cùm Meſſanæ in Sicilia ea fama latè percrebuiſſet, tres ibidem ſorores honeſtiſſimo loco natæ experiri in ſe ſtatuerunt, num ſparſa de Vishauæo vulgi opinio cum vero conſtaret. Nuptias omnes mortales ambiebant, idcircò ad ſæculi leges vitam ad amuſſim exigebant: illum igitur adeunt, conſcientiæ onus apud eundem deponunt. Vix ab eo prima receſſerat, cùm iam ardentiſſimo ſponſi cœleſtis amore exæſtuans fir-

missimo animi decreto esse statuit, quod antè nolebat. Idem & reliquis euenit. Paulò post igitur omnes non sine summâ vniuersæ ciuitatis admiratione, & plausu pudoris florem Deo in Parthenone consecrarunt. Alia ibidem fuit prioribus petulantior; cui rosei coloris capillus plus æquo placebat: quem idcircò non leui pretiosissimi temporis iactura indies horis aliquot ad speculi leges & sæculi mores concinnabat, vt cuius beneficio amorem, imò & nuptias speraret: in illam ita ornatam Vishauæus aliquando incidit, & in eam acri oratione inuectus monuit, caueret: ne ab irato Numine, pro eâ culturâ dignam aliquando mercedem reciperet: si saperet, Sponso cœlesti eum ornatum non inuideret. Risit illa tum quidem, & vel ad nomen Parthenonis horruit; paulò post tamen reliquas subsecura est. Nam cùm ex acutissimo capitis dolore, quo tentari cœpit, crines omnes excidissent, cùm iam calua humanis placere oculis desperaret; diuinis placere decreuit eodem quo reliquæ loco. Parthenonem non vnum ea ratione nobilissimarum virginum numero oppleuit. Eam autem vim adeò miram Hetærianæ castitati adiunctam à Mariana profluere Mnemon adiecit. Illa enim, inquit, augusta cœlitum Regina & virginum Princeps Hetærianos maximam partem, si non omnes, Hetærio adiungit, & propterea etiam quæ huc necessaria eis sunt, procurat: inter quæ principem locum Castitas obtinet, quâ illos aut donat, vti sanctissimum Hetærianæ Familiæ parentem donauit, aut donatos confirmat,

Clarum

Clarum id in Iacobo Ledeſma, qui à virtute & eruditione immortalem gloriam aſſecutus eſt. Is Nocoliæ in Carthuſia primo, & humaniſſimo Hetærianorum ibidem hoſpitio in Leonardum Keſſelium inciderat, & ab eo perſuaſus in Hetærij leges & ipſe iurare vehementer optabat, ſed vnum erat, quod egregia meditanti remoram inijciebat, metus ne perſeueraret, & ad illam Angelis ſupparem caſtitatem ab Hetærio in ſuis requiſitam aſpirare poſſet: ſed iuſſus neutra hac ex parte metuere, vtrumq; à Virginum & cœli Regina Hetærianorum optima parente ſperare; auctorari ſe in nouum militem paſſus eſt. Cum nihilominus deinde anxius rē eam vtramq; magnæ Virgini Hetærianis omnibus tā propitiæ commendaret, ſubitò cœleſti luce conclaue, vbi orabat, refulſit; & in ea Deipara vna cum Diua Magdalena & Catharina vtraq;, Senenſi & Alexandrina videndam ſe Iacobo ſtitit, Caſtitatis donum impertijt, & in Religione perſeuerantiam, & in extrema lucta cum morte decertanti à ſuamet præſentia auxilium promiſit. Deinde duæ reliquæ canere cœpêre, ſed vt cœlites ſolent, merum nectar & ambroſiam. Ipſe cœleſti dulcedine ebrius, præter hos tres verſiculos nihil è diuina illa cantione retinuit.

Diuina res eſt Caſtitas,
Diuina ſunt & præmia
Quæ continenti dat Deus.

Addamus aliquid quod non adeò procul Nocolia geſtū eſt non ſine eximio Hetærianæ caſtitatis encomio. Treueri e-

missus è tyrocinio Hetæriano Matthæus Boys etiamnum Nouitius ostiatim stipẽ cogebat, vt apud tales recepta consuetudo obtinet. Inuitatus est à benefico, & liberali hospite ad mensam lautam illam quidem à cibis, sed minùs castam. Aderat enim è grege Cyprio leno quispiam; qui nescio, quę spurca ex impuro ore euomebat. Tenerrimæ aures facile vulnus senserunt: cum alia autem tuendæ in eo articulo castitatis ratio non esset, cœpit Matthæus vbertim ex oculis lachrymas, è naribus sanguinem profundere, opportunas Cyprijs flammis extinguendis vndas. Causam rogatus, quę eam lachrymarum & sanguinis copiam tam subito propelleret, quis, inquit, non acerrimè doleat, ita grauiter Numen immensum offendi, ita barbarè cum omnium venustissima pulcherrimaque Diua castitate agi? in quam, quot verba iacta sunt, totidem pectori vulnera infligi maluissem, & minùs inflicta doluissent. Defensa in tempore Castitas, & quidem tam opportunis armis cœpit esse venerationi, quæ fuerat ludibrio. Nec mediocriter miratus est hospes Hetærianæ castitati tam subito ad manum esse, & venire subsidio lachrymas, & sanguinem, cùm alia arma desint. Et inde facilè collegit, quam ea cordi Hetærianis, quam cœlo curæ sit. At iuuat hìc pauca addere, quam acri, ac pertinaci certamine dæmon eandem oppugnet, quam pręsenti ope propugnet Soterius. Mulier nefaria aut Cacodæmonis potius mancipium Panormi in Sicilia fuit, quæ ipsis 35. annis ad Orci arbitrium in flagitijs grauissimis vixit. Hæc ex Auerni im-

ni imperio ædem Hetærianam octo annorũ ſpatio eo conſilio frequentauit, & multa cum Hetærianis fuit, vt eorum caſtitati ſub pietatis larua inſidias ſtrueret. Tantum tamen abfuit, vt illam Diuino auxilio communitam læſerit, vt ipſa deinde in certam animæ ſalutem capta ſit ab ijs, quos captura & in fraudem pellectura venerat: nam eorum ope adiuta ex libidinis cœno emerſit. Ioannem Hieronymum, quo Oratore Philippus II. aliquando libentiſſimè vſus eſt, cum Granati Hetærianis præeſſet, mulier item ſceleſta pudendi facinoris accusârat. Famam latè vagantem ij, ad quos ea res pertinebat, repreſſuri diligenti examine in factum inquirunt. Eos inprimis quibus Hieronymus vtebatur familiariùs, rogant, num ſciant quippiam, quo rumor adeò funeſtus roborari poſſit. Inter hos vnus ſupra quam dici poſſit indignatus, amici integerrimi angelicam caſtitatem vel in leuem ſuſpicionem veniſſe, huc, inquit, ignem afferte, hic Hieronymianæ integritati, ac innocentiæ incorruptum teſtimonium dabit; ſimul manum in ardẽtis luminis flammam immiſit, eò vſque ab igne illæſam in ea retinuit, dum fidem de illata Hieronymo iniuria omnibus feciſſet. Improba deinde lena tantis doloribus excruciari cępit, vt coacta ſit Hetęrianos Pręſides adire, & ad eorundem pedes prouoluta irrogatæ iniuriæ veniam deprecari.

Arbor Citriam ſubſecuta pulcherrimo item aureoque fructu redundabat. Poma enim ad auri colorem accedebãt. Quæ cum intuerer curioſiùs, num, inquit, ad me Eteſius

Sano-

Sanouiſe, aliquid tibi de aureis malis, & horto Heſperidum aliquando inauditum? eſſe aſſeueranti, hæc ipſa reſpondit, arbor de earum numero eſt, quæ olim in Heſperidum feliciſſimo pomario floruerunt. Inde huc enim tranſportata eſt Eubulemi cuiuſpiam opera: ſed libet rei geſtæ narrationem altiùs repetere, cum non pauca interuenerint, quæ laudem & poſterorum memoriam mereantur. Cùm hoc nobile pomarium exſurgeret, & ſelectiſſimæ quæque arbores excelebratiſſimis orbis pomarijs huc transferrentur, ad decantantiſſimos Heſperidum hortos profectus eſt hic Eubulemus, cui datum erat in mandatis vt draconi in ſomni aut excæcato, aut interempto, non aurea mala, ſed cum malis arborem auferret. Rem ille præclare executus, hanc quam videtis arborem huc aſportauit. Sed non minus illi, quàm Herculi operoſum fuit. Draco enim acutiſſimi viſûs, vnde & nomen inuenit, hortum etiamnum vigil cuſtodiebat. Sed ille belluam fortiter aggreſſus, non quidem occidit, ſed excęcauit, idque tanta fortitudine, & dexteritate confecit, vt ambigas maiorne robur, an ingenium admiratione ſit dignum. Nam cùm probe noſſet, qua ratione Vlyſſes ingens polyphemo lumen è fronte excuſſiſſet, eum imitatus ardente titione oculum vtrumque regente manum ingenio ita ambuſſit, vt lucis eidem non vitæ vſuram ademerit. Quid ea poma tam copioſa & præſtantia cortici ſuo arcani includerent, erat nobis aliquantò obſcurius: id igitur euoluturus Eteſius. Hetærij, hìc inquit obedientia adum-

adumbratur, quæ nisi tanta esset, quantā videmus, & miramur, diu Hetæriana familia in illa locorum, functionumque varietate existere non posset; sed necesse esset quā primum collabi: ideoq; præcipuum cuiusq; studium est, in eâ quam maximè excellere. Cùm verò ad eius perfectionē aspirari nō possit, quandiu suo quisq; nimium iudicio, & priuatæ prudentię tribuit, hic omnium potissimus labor & industria versatur, vt hunc oculum mentis non vsu, sed abusu priuent, ne is videlicet imperata quæcunque ea demū sint, examinet, rectáne an secus sint, sed voluntati duntaxat ad eadem implenda dux sit. Quæ Hetærij, eadem obedientiæ genuina soboles est. Hæc incredibili parendi studio accensa, quocunque Hetærius amandet, momento paratam se sistit, & in imperium alas affert,

——Per altas ire si iubeat niues,
Iuuat gelatis ingredi pindi iugis.

Iuit enim per continuas niues mense non vno Antonius Andradus cum aditum in regnum Thebet aperuit.

Iubeat per ignes ire & infesta agmina? eunt & iuêre iam Spinolæ, & Fernandi, vt alios quam plurimos sileam. Labor penè minor est illi iussa exequi quam Præsidi dare. Ad eius nutum rupium & montiū iuga ascendit, syluas periculis infestas adijt, procelloso & naufrago Oceano vitā obiecit. ausa

——Siccis oculis monstra natantia &
——Mare burgidum &
Infames scopulos acroceraunia,

Et his sæuiora irretorto oculo intueri. Viribus penè maiora ad Heteęrij nutum aggreditur. nam obedienti nihil arduum. Vno hoc seculo orbem vniuersum obiuit, nec tamen ex itinere fessa, sed alacris. Et quamuis sæpè incesserit per lubricum, nunquam fefellit vestigium, nunquam est effusa in casum. Haberet hìc, vbi triumphare & exultare posset Oratio; sed locus, & tempus definitum latius non sinit excurrere; aliqua tamen modicè delibemus. Vt alios cõsultò prætercam, in Francisco Borgiâ mirè enituit; viro sanè maximo, siue antea Proregẽ inter suos, siue postea inter Hetærianos subditum, siue summum præsidem consideres. Is enim cum aliquando, vt apud Hetærianos solenne est, suam in culina operam coco elocasset, tãta alacritate in omnes nutus illius obsequens affuit, & omnia eiusdem imperia impleuit, quanta nullus heri sui famulus. Euenit vero aliquando, vt Borgias subitò ad aulam ad Principẽ Hispaniæ Ioannam euocaretur: quò non nisi submisse petita à Coco, obtentáque licentia concessit. Illi iam abeunti Cocus inclamat, quamprimum se ex aula expediat, in culinâ enim esse, in quo vti operâ eius necesse sit. Facturum respondit Borgias, & vero fecit. Cùm enim reditum, admirante non mediocriter Principe, vehementer vrgeret, ingenuè fassus est, ita discedenti Cocum imperasse, è cuius arbitrio nũc penderet: quo Principem in stuporẽ dedit, ac abijt. Illa autem Proregem, Gandię ducem, Borgiã, imperare solitum, nunc imperia à Coco accipere, & admittere, non credidisset, nisi

Bor-

Borgias dixiſſet,& Borgiæ virtus fidem feciſſet. Apud Hetærianos nõ quis, ſed cuius nomine imperetur, attenditur: hinc apud eoſdem, nec ſummis etiam infimo cuique parere difficilè eſt: quia vis eadem quæ imperia vrget in infimo eſt, quæ in ſummo. Fuit cum & prodigio Deus Hetærianã obedientiam cõprobauit. Ioannes Ximenes inter Hetærianos rei domeſticæ, vt vocant, Coadiutor, vir aperti & candidi pectoris, atq; in præſidum ſuorum imperia cœco voluntatis impetu ferri ſolitus, fluuium cum mulo iubebatur traijcere. Is extra ripas effuſus adeò excreuerat, vt ſine præſenti vitæ periculo non videretur poſſe tranſiri: de periculo Cæſarauguſtanum prẹſidem ſuum admonet. Vbi is nihilominus imperata vrſit; nihil cunctatus Ximenes mulo inuehitur in Iberum: ſed mox vndarũ impetu, cui ſuſtinendo impar erat, in imum cœpit abripi, & iam exitiũ erat in oculis. Tum Ximenes præſenti animo oculos in cœlum attollit, & huc inquit, ô Deus, obediẽtia duxit, quæ nemini fraudi eſt. Tuum nũc eſt ſuccurrere. Vix implorauerat, & mox affuit auxilium. Mulus enim in extremos ſeſe pedes erigit, itáque regreſſus humanũ penè in morẽ, ambulare ſubitò edoctus, vectorẽ, & ſe in tuto ſtitit incolumem. Ioannes Ortungus à præſide iuſſus in porticu quapiam vſq; in reditũ ſuum (erat autem animus reuerti quamprimum) ſubſiſtere, & à ſe illîc mandatum exſpectare: immobilis nouẽ horarum ſpatio inter ſæuientis hiemis iniurias (nix enim copioſa decidens iã pedes operuerat) eò loci perſtitit, aliò enim prẹſidem interea variarum cogitationum æſtu abreptum negotia auoca-

runt. Etiam Ortungus, & mandatum illi commissum memoriâ effluxerant. Tandem cum â cœnâ abesset, nec quisquam vbi esset, sciret, mandati memoria in Præsidis mentem recurrit, & ad porticum properas eodem loco Ortungum reperit, quo reliquerat, tota etiam nocte mansurum nisi nouum mandatum reuocasset. Similibus plenæ sunt res ab Hetærianis gestæ, quæ si omnia narranda essent, quadriduum nostrum latiùs extendendum foret.

Interim iam ad Cydoniam accesseramus, multa in eâ arbusculâ mirabamur. Et primo quidem arboris, & fructus magnitudinem disparem. Illa enim inter maliferas arbores minima erat, & poma nihilominus eiusdem penè omnium maxima. Deinde vberrimam fructuum abundantiam, qua propè reliquas omnes ante cedebat. Tum eorundem præstantiam: nam ori, & cordi mirificè conducere asserebat Etesius: illi quidem gratissimum odorem inspirare; huic verò robur addere. Neque id admiratione carebat, quod frutici, quam arbori esset similior; & rami sibi mutuò implexi velut in sepem coiuissent; quarum plerique pomis depressi in humum inclinabant. Poma ipsa ad aurum accedebant, sed aliquanto dilutius. Et ijsdem mollis quæpiam lanugo succreuerat, vnde fiebat, vt attingenti aspera non essent. Post quæ ego ad Etesium. An nõ aiebam, Etesi, ex hac cydonia Hetærii humilitas velut è speculo tralucet? tralucet verò, excepit ille; quæ certè virtus, si vlla ab Hetærianis elapso seculo culta est, & in præcipuo quodã honore habita. In quã ne quan-

do peccandi liberior occaſio foret, honores ab ædibus ſuis omnes proſcripſit Hetærius, affixo ad fores decreto, quo omnis illis aditus intercluditur. Ad purpurã, ſeu Tiaram Iacobus Laynius, Claudius Iaius, Nicolaus Bobadilla, & alij plures magni, & illuſtres inter Hetærianos viri tantùm non tracti ſunt, pertrahi tamen, quia viribus omnibus obnixi ſunt, nunquam potuerunt. Carior ſcilicet humilitas, quam dignitas fuit: quia tutior, quia Hetęrio ſuo acceptior. Fuêre quidẽ, quibus diu obluctantibus tandem inuitis, & ad colorem Hetærianis omnibus formidabilem ingemiſcentibus, purpura, aut infula iniecta eſt, ſed corpus ornauit, animum non immutauit, nec oculos perſtrinxit. Nempe obfirmatum in humilitatis leges animum nulla res facilè tranſuerſum egerit. Cum humilitate Franciſco Borgiæ iam ſupra laudato arctà velut amicitia interceſſit. ita amauit, ita coluit. Vt illi placeret, vt eius beneuolentiam ſibi conciliaret, porcum (ſit verbo venia) ſe ipſum nominauit, & ne nomẽ à verò abluderet, etiam haberi voluit. Cùm enim aliquando ianitoris vices, vir tantus ageret, (quod item ineundæ ab amicâ illâ ſuâ gratiæ causâ frequens factitabat) nonnemo Heterianæ inopiæ ſubuenturus porcum dono ſubmiſit. Hunc ille in humeros ſuſtulit, & ſocijs ad ſpectaculum attonitis leniter ſubridens, porcum, inquit, porcus aſportat. Amoris eximij in humilitatem & illud argumento ſit. In itinere cum ſocio in eodem cubiculo dormiebat. Is, cum tuſſis ea nocte vehementer vrgeret, identidem, quę ſtomachus

malè officio functus non digesserat, egerebat, & vt ipse putabat, in parietem aut pauimentum, sed imprudens in Borgiæ vultum eiecit: quem ille non amouit, ne, adeò nobilem amicæ suæ gratificandi occasionem negligeret, sed sputis excipiendis exporrectum obiecit. Tandem agnito errore socius veniam precari aggreditur, sed Borgias bono esse animo iubet, locum enim eiusmodi sordibus in toto illo cõclaui, vultu suo digniorem non fuisse. Plura de hoc ipso & alijs sexcentis adduci facilè possent, si locus sineret. Sed satis opinor hinc quiuis collegerit, quales aut sint, aut esse laborent Hetæriani. Nec enim Hetæriani sanguinis est, à præclaris maiorum suorum vestigijs deflectere, in ea præsertim virtute, quam quisquis habuerit offensam, Hetærio diu amicus esse non potest. Vnum aliquem inprimis Hetærius habuit, adiecit Mnemon, qui vita ipsi, & si quid dulcius vita est, charior fuit, hac virtute eximiũ, Cleomiso nomen fuit. Eum si à corporis mole æstimes minimus, si à præclaris virtutibus, ab animi bonis, & illustribus factis, à placidissimis moribus, omnium maximus est. Per neminem alium toto elapso seculo maiora, ac per ipsum perpetrauit Hetærius: idem dura, ardua magnis difficultatibus implicita, summis periculis coniuncta, rara animi magnitudine aggressus ad felicissimum exitum perduxit. Tantum tamen abfuit, vt rerum gestarum gloria efferretur, rebusque secundis insolesceret, vt inde potius se depresserit; nullibi enim ac humi fuit libentius, alta omnia reformidauit ac fugit, in moribus
nihil

nihil vnquam arrogans, nihil inflatum, nihil aſperum: lanea omnia & cydonia fuere; ſermo omnibus dulcis, balſamum ſpirauit & roſas. Quibus è rebus duo conſecutus eſt. Primum, vt ſibi omnium Hetærianorum animos incredibili beneuolentia deuinxerit; deinde vt eum non Hetærius ſolum, ſed & alij qui rerum potiuntur in orbe terrarũ, ad ſumma quæque conati ſint prouehere, ſed ipſe quoad licuit obſtitit. Sexcenties inſulam non ſine maximorum virorũ offenſa repudiauit: ſemel, aut iterũ aſſumere coactus, corpore non animo induit: ideoq́ue in ea remanſit, qui fuerat antea, Cleomiſus; & exemplo ſuo docuit non ſemper vulgare illud cùm verò conſiſtere, *Honores mutant mores.* Tabellam deinde porrexit Mnemon, è qua nobilem eius de Doxophilo triumphum perlegimus, quem ex Apollineâ gente quiſpiam his verſibus exornârat.

Vix innotuerat præluſtris Hetærius Orbi
Nobilibus factis; & te melioribus armis
Soteri, nomenq́; tuum vix cœperat acri
Milite tutari, quando ſucceßibus æger
Tam lætis, magniſq́; parum tot laudibus æquus
Doxophilus bellum indicit, mundiq́ue Monarchas
Et rerum Dominos, ſeu geſtent aurea quondam
Sceptra manu, gemmis grauidas ſeu vertice mitras,
Armorum ſocios adſciſcit. Hetærius illi
Opponit funda inſtructum Cleomiſon, inermem

Cætera,

Cætera, diſparibus concurritur acriter armis.
Ærea quæ ſedit flauo ſub vertice caßis
Doxophili, radijs Phœbi percuſſa refulſit:
Et criſtæ tremuêre leues audacibus Euris
Proiectæ, fulgénſque chalybs, nec peruius enſi
Munierat pectus; ſuras incluſerat æri.
Brachia vibrabant ingens prægrandia ferrum:
Par armis ſtetit ipſe ſuis, caput intulit altis
Nubibus: Alcides illi collatus & Atlas,
Nanus erit. tamen immenſa nil mole Gigantis,
Nil adeò horrendis Cleomiſus territus armis,
Obuius occurrit. vitreo de flumine lectus
Arma fuêre lapis, flexa quem gyrat in orbem
In fundâ, certóque petat, quam vulnere frontem
Deſignat, ſolers neque quicquam dextera fallit.
Qualis enim auguſta quondam puer indole paruus
Corpore Ießiades, animo fortißimus heros
Goliadum: talis paruus quoque corpore, magnus
Pectore, Doxophilum Goliæ nil viribus impar
Proſtrauit monſtrum funda Cleomiſus, Hetæri
Magne, tuus Cleomiſus honor, columenq́ʒ, decúſque.
Nam cœlo ducente manum dum deſtinat ictum
In frontem, mediámque ferit, latéque pateſcens
Hæc in vulnus hiat; diro ceu fulmine tactus
Proruit; accurrit Dauid nouus, abripit enſem,
Immenſúmque caput vaſta ceruice reuulſit.

Nobile

Nobile cum spolium conspexit Hetærius hosti
Iurato extortum, festiuo ingentia plausu
Gaudia testatus suspendi iussit ab alto;
Spectaclúmque, metúmq; suis. Tum clara reuinxit
Tempora victoris Cleomisi virgine lauro
Æterno semper viridis quæ floreat æuo.

Nouum deinde arboris genus, nec in his terris visum hactenus Etesius monstrauit, addiditque esse ex nouo orbe è Prouincia Malabarica & Cachi nominari. Non tulerat nisi vnicum pomum, Et quidem non in ramo, sed ad stipitem: eratque insolitæ magnitudinis: cuiusmodi vnicum duntaxat enasci in ea quotannis adiecit Etesius, sed vt plurimum adeò magnum, vt ei ferendo vir cœteroquin robustus non sufficiat, ac propterea plurimis alijs præstare. Nam in se minora alia mala nostratibus magnitudine æqualia, aut etiam maiora trecenta complecti raræ virtutis omnia, & precij: eadem mirabili ordine inter se disposita esse: singula quidem inter se pelliculis diuisa, mutuo tamen nexu vicissim colligata firmissimè cohærescere. Quod ita esse ne dubitare possemus, ex arbore detractum cultro diuisit, & fidem oculis fecit. Hic tum Mnemon: concordiæ, inquit, hæc arbor aptissimum simulacrum est; quę Hetærianorum omnium corda hactenus aureo vinculo amoris copulauit: Et Hetærianos non trecentos, quot poma Cachi comprehendit, sed ad octodecim millia optimo ordine inter se dispositos officijs, moribus, linguis, ingenijs diuisos mutuo

tamen nexu viciſſim fraternæ dilectionis firmiſſimè copulatos, complexu vnico fouet. Nec hactenus arbor aut pomum fuit in omni hoc pomario, ſeu res nulla fuit; quam orbis magis in Hetærianis penè ſuſpexerit. Cui id enim non magnoperè mirum videatur, tot diuerſiſſimas nationes, eas etiam, quas alioquin ipſa penè natura & ex hac enata ſtudia diſiunxerunt, in vnam iudicijs, moribus, legibus vbiuis gentium conformem coaleſcere? & ita quodammodo fieri, quod adynaton vetuſtas credidit, vt agnus & lupus, accipiter & columba poſito naturæ diſſidio ſimul ſine fraude commorentur: ſcilicet neceſſe eſt cœlitus hauſtam eſſe ſapientiam, qua Hetærius tam longè diſſita coniunxit, & nexum illum, quo ea aſtrinxerit, omni ferro & chalybe firmiorem eſſe; vt quem nulla vis tot annorum ſpatio potuerit infringere, nulla vetuſtas atterere, ſed qui potiùs ab vſu aſſiduo ſplendorem traxerit.

Hanc eandem Vbius quidam Doctor, magni inter ſuos nominis, olim ita percommodè adumbrauit. Rogatus is, quo pacto ibidem Hetærius tam ſecundo rerum ſucceſſu vteretur, & noua indies iuuentuti, quam literis & moribus informaret, acceſſio fieret, reſpondit: quotquot illic Hetæriani eſſent, currum vnum vnico fune trahere, ideoque illum, & cum eo rerum negotia tam feliciter procedere. Rem enim verò dixit, ſubdit Eteſius, animorum enim conſenſio proſperi ſucceſſus mater eſt. Quod hoc ſæculo res Hetæriana paſſu tam felici iuerit, à concordiâ maximam

par-

partem fuit. Concordiæ Hetærianæ vis, vt vbiuis gentium rara enituerit, maximè tamen Romæ, in ſummi Præſidis electione ſemper eluxit; ac inprimis in Claudij Aquauiuæ. Cùm enim in demortui locum hunc ipſum ſuffecturi è toto terrarum orbe præcipui quiq; doctrinâ, prudentiâ, virtute, numero LVII. Romam conueniſſent; de his ita ſcribit Ioannes Antonius Valtrinus. Hi omnes licet patrijs, linguiſque diuerſi inter ſe, ita tamen voluntatibus conſenſerunt, tantâque omnia conſpiratione animorum geſta ſunt, vt eximiæ cuiuſdam charitatis & concordiæ non modò in præſens tempus, verum etiam in futurum firmiſſima fundamenta iacta eſſe videantur; Et verò iacta fuerunt, nam illa hactenus nulla vis, nulla temporis diuturnitas, nulla cœli inclementia labefecit; ſed ſua etiamnum firmitas his fundamentis conſtat: & ſperat Hetærius Deo benè propitio, conſtituram æternùm. Tantæ inter Hetærianos concordiæ cauſam reddere Mnemon iuſſus, iam antè ab aliquo Poëta datam, hunc in modum è Tabella recitauit.

In pictas aſtris decrêrat Hetærius arces,
Moliri Turrim: (ſumptus promiſerat æther,
Hoſq; animos dederat) quâ poſſet Olympus adiri.
Hoc vbi conſilium vulgari iuſſit in orbem,
Quà tollit roſeos, quà mergit in æquore currus
Aſtrorum princeps, mox adcurrêre frequentes
Certatim artifices, queîs clarum nomen ab illâ

Arte fuit. Deni imprimis quos fama celebres
Inclyta reddiderat varijs è partibus orbis
Addixêre operas: quos inter Cantaber vnus,
Nobilium Princeps, quos illa effuderat ætas
Artificum, Loioleo de sanguine natus
Eminuit reliquis. mox se iunxêre sodales
Pulchro operi plures: sed quos natura creârat
Vna pares, linguæ dispar disiunxerat vsus.
Ergò ne cœpto fortaßis lingua labori
In varios diuisa sonos obstacula rursus
Obijceret, prudens præuenit Hetærius astris
Consultis, igitur deducit ad Euphilon omnes
In tantum quos sumpsit opus (fuit Euphilus artis
Aurifabræ felix: nec enim tum temporis illo
Tractabat quisquam artificum solertiùs aurum)
Attamen in solo non constitit illius auro
Ars præstans, Idem nôrat noua cudere corda,
Et cerebrum conflare nouum, linguasq́; recusas,
Quod potiùs velles, idioma sonare iubebat,
Hic vbi cum cerebro linguas, & corda recoxit
Igne suo, docuitq́; nouam sumpsisse figuram,
Vnica lingua fuit, mens vna, cor omnibus vnum.
Tum demum moli, quæ surgat in æthera, iunctas
Applicuêre manus: & mox felice tetendit
Successu in nubes. Iussam pars tergore calcem
Subuexit, pars saxa tulit, pars traxit in altum,

Parsq́;

Parsq́ loco posuit. Celsum nec in æthera lento
Iam pede surgit opus: iam nubila vertice tangit,
Iam quoque trans nubes cœli radiantibus astris
Inseritur, quà porta patet stellantis Olympi:
Hàc Hosius primus, subijtq́ Codurius alter;
Post alij plures: quos rectus in ardua trames
Iuuit, & ascensûs non tardauêre labores.

Tres adhuc arbores superabant, salix malifera, punica, persica, reliquis fructuum copiâ, & nobilitate non impares. Salicem Mnemon conspicatus, similem olim narrabat in Hyberniâ visam, S. Keiwini precibus iussam mala producere. Cùm enim nobilis quidam, inquiebat, adolescentulus, eius alumnus, quem ex parentis imperio sanctioris vitæ preceptis imbuebat, è morbo decumberet, & in eius seu solatium, seu leuamen, seu etiam medicinam poma exposceret, nec eò loci arbores maliferæ essent, virum sanctum alumni lachrymis commotum preces ad Superos fudisse, & ijs flexisse, vt iusserint salicem vicinam in malum abire, & fructus desiderio tam pio explendo expetitos proferre. Addebat his pomis cœlestem quandam dulcedinem inesse, & facto periculo comprobauimus: malum item nullum esse tam nocẽs & pestilens, cui sanando vis ea non par sit, quam è cœlo hauserint.

Adhæc Litholeon, non, inquit, nisi per nebulam video, quid arcani in hac pomiferâ salice delitescat: ni molestum est, Etesi, inuolucra retege, rem in aperto statue. Faciam ve-

rò perlibenter respondet Etesius, & simul indicat Hetæria-
num in rerum diuinarum meditatione feruorem, & studi-
um repræsentari. Et verò adiecit, præter alia complura, quę
orbis Christianus Hetærio debet, illud non infimum est,
quod ab eo nouam, aut certè anteà minus vsitatam diuina
contemplandi rationem edoctus sit. Ab hac rerum cœlesti-
um contemplatione (absit verbo inuidia) melior orbi faci-
es in multis vrbibus, & familijs, sacris pręsertim inducta est:
ab hac mirandæ morum animorumque conuersiones vbi-
uis passim gentium extitêre: ab hac Hetęrianæ constitutio-
nes, & regulæ haustæ sunt, quibus Hetæriana familia hacte-
nus prudentissimè gubernata, ita, vt videmus effloruit. Hu-
ic Hetærius animi pulchritudinem, morum integritatem,
membrorum symmetriam, vitalemq; vigorem, vultus de-
niq; minimè deformem elegantiam, nec aspectu (modò se-
reni sint oculi) iniucundam adscribit. Huic in acceptis re-
fert illustres suorum de seipsis victorias, illam rerum cœle-
stium lucem, illam in rebus agendis peragendisq; dexteri-
tatem & efficaciam; illam denique ardentissimam salutis a-
lienæ sitim. Quotquot in suos recipit, in integrum mensem
hac exercet & expolit, ac in alios, atq; venerunt, immutat:
id quod omnib. hactenus in se ipsis experiri licuit, & admi-
rari, qui suis hic partibus non defuerunt. In hanc omnib. in
annos singulos octiduum ab alijs occupationibus omnibus
vacuum; in dies verò singulos horæ spatium à somno pro-
ximũ, & huic rerum diuinarum vacationi aptius assignat.

In

In ea vbertim lachrymis fluere, radijs diuinæ lucis refulgere, eleuari humo ſolitus Diuus Ignatius, huius orationis ſecundum Deum præcipuus author: In illa incredibili penè dulcedine colliqueſcere Franciſcus Xauerius, Franciſcus Borgias, Sebaſtianus Barradius, Ioſephus Anchieta, Balthaſar Pinna, omnes egregia vitæ ſanctimonia illuſtres viri præter alios complures conſueuerunt. In ea Aloyſius collectis omnibus omnino ſenſibus, & cogitationibus vni Deo adhęreſcere, & vultum illius auguſtiſſimum inconniuo obtutu intueri: In illa Beatus Staniſlaus in eas amoris diuini flammas exardeſcere ſolitus eſt, vt non ſemel affusâ frigidâ pectoris lenire æſtum debuerit. In hac totus transfundi in Deum aſſueuit Franciſcus Suarez qui & huic potius quam ſtudio aliàs in defeſſo ſuam illam prodigio ſimilem ſcientiam adſcripſit, Syluester item Landinus, & Sebaſtianus Campius, vt alios interim non paucos omittam. Huic vnam duntaxat horulam tribuiſſe minimè contentus Stephanus Tuccius indies quatuor, Ioannes Nunnius, & Ioannes Caruaillius quinque adiecêre: imò Orationis fundendæ gratia indies genua quadragies Antonius Criminalis, centies Hieronymus Caruaillius flexit. Aliquid de vi, quæ hinc in preces influit, addamus. Conſaluus Sylueria fuſi pro Chriſto ſanguine laurea clarus precibus tempeſtatem horrendam ſedauit; Andreas Ouiedus fluuium exſiccauit, vt piſces eſſent in extremæ famis ſubſidiū; Bernardus Colnagus veteris Eliæ exemplo in

diu-

diuturnâ ſiccitate pluuias cœlo imperauit: qui item ea ſanctitatis quam hinc potiſſimum hauſit, opinione Catinæ diſceſſit, vt Catinenſis ſenatus eius effigiem ad viuum in telâ expreſſam in Curiâ inter illuſtres viros collocarit. Quod ſequitur, niſi CL. teſtes oculati affirmaſſent, credi vix poſſet. Balthaſar Barreira precibus ſuis Luſitanis in Guineâ victoriam ab omnium retro ſeculorum memoriâ celeberrimam impetrauit. Res ita habet, Duodecies centena millia militum Barbari cõtra Luſitanos omnino CL. in campum eduxerant. Suos Barreira hortatus, iuſſit, nihil metuere: Deum in paucis iam olim ſæpiùs propè innumeros viciſſe, & verò eo ipſo die victurum, modò animos fiduciâ, manus ferro armatas in prælium inferrent. Ipſe igitur ad preces, reliqui ad certamen abeunt, ille manus in cœlum, hi ad ferrum extendunt: iunctis vtrinque copijs pugnatur acerrimè. Quoties Barreira (vt nouum Moyſen agnoſcas) vehementius precibus, hi hoſtibus inſtabant, ſi ille de ardore remitteret, hi à victoriâ recedebant. Tandem ille, ac antea orare ardentiùs, hi pugnare acriùs aggreſſi in Barbaros irruunt & ſinguli aliquot millenorum robore pugnantes tot millia ex acie fugant, profligantque & ferro, quos fuga non ſubducit trucidãt. Rex Luſitaniæ de re tota, vt geſta erat edoctus ſuis ibidem belli ducibus in mandatis dedit, nihil porro in conſulto Barreirâ agerent. Thermopylas credo minus poſteritas mirabitur.

Punicę truncum cuneo è pinu vſque ad medullam non-

nemo

nemo diffiderat eo fine, vti narrabat Etesius, vt fructus inde enati eò essent dulciores. Et verò eo è vulnere miram dulcedinem solere in mala Punica deriuari sæpiùs experientiâ esse comprobatum. Cùm malum vnum detraxissem ex arbore edissemque, nescio quod lene frigus, non sine mira totius naturæ, vt ita dicam, exhilarescentis dulcedine stomacho sensi affundi, & ab Etesio didici eam refrigerādi vim ijs pomis peculiarem esse. Grana penè innumera optimi saporis & succi, horrido & duro cortici includebat, & valdè probabam, quod Mnemon è D. Gregorio Nysseno afferebat, genuinum symbolum esse viri eximia vitæ sanctimonia incliti, qui sub vili & lacero subinde habitu, imò & setosa veste preclarissimas quasq; virtutes occultet. Quales profectò addit Etesius, non paucos Hetærius hoc sæculo numerauit: quorum princeps studium fuit cupiditates frangere, naturę effrenes impetus retundere, vincere seipsos. Nemo enim vnquam dux belli aut maiori apparatu militari instructus, aut odio infensiore sui hostis, aut acriori victoriæ reportādæ studio accensus, contrà hostilem exercitum processit in campum, ac Hetæriani contrà seipsos: Quidquid artis & stratagematum bellicis viris in vsu fuit, aut etiamnum est, ad se vincendos vsurpant. Aliàs enim inedia & fame hostem domesticum ad deditionem cogunt, aliàs armata manu expugnant. Nullo loco aut tempore vllū certamen recusant: noctes integras, etiam hybernas in statione excubant, ne hostis ex improuiso obruat incautos: illius consilio per spe-

culatores fidiſſimos explorarant; vt quoties aut in aciem euocat, aut ex inſidijs inuadit, parati occurrãt. Quæ ne dici, non probari videantur; diuerſa diuerſorum prælia & triumphos delibabo. Ac alij quidem aliò pugnæ genere, capitalem & iuratum hunc hoſtem, ſe ipſos vicerunt. Fuerunt enim, qui pręcipuum hoſtis propugnaculum, carnem ſumma vi oppugnarunt, rati hoc expugnato de reliquo facilem fore victoriam. Nec eos ſua fefellit opinio. Talis autem inprimis fuit Sebaſtianus Campius, qui dum Hetærianus vixit cilicium vſque ad genua dimiſſum nunquam exuit. Talis fuit Hieronymus Caruaillius ope diuina è præſenti vitæ periculo ereptus, vt deinde Hetęrianis ſe iungeret. Is enim præterquam quod & ipſe ſetoſam veſtem vſque ad poplites defluentem continuò geſtarit, indies bis terue minimùm flagris non ſine ingenti audientium horrore carnem concidit: Stephanus item Tuccius, in quo neſcias, virtutémne an eruditionem prorſus eximiã potiùs admirêre; certè vtramque Clemens VIII. ſuſpexit: & ipſe ſub quamuis noctem ita acriter flagellis in ſe deſæuijt, vt à vertice vſque ad calces nulla pars eſſet immunis à plaga. Ferdinandus Suarez denique de Concho perpetuo cilicij vſu, & dena indies diuerberatione carnem edomabat. Alij cum oculis moleſto ſanè, & vigili hoſte perpetuum bellum geſſerunt, arbitrati, vbi hoſtem excæcaſſent, de cætero nullo negotio poſſe ſuperari. Alphonſus Rodriquez, qui virtutum ſuarum radijs totam Hiſpaniam impleuit, quadraginta annorum ſpatio

fœminæ

fœminæ vultum, quamuis ex officio portæ curam gereret, nunquam aſpexit. Sileo hic Aloyſios, Berckmannos, aliosque complures, quibus oculorum victoria ad ſe ipſos vincendos maximo adiumento fuit. Alijs cum manibus nō minus difficilis pugna extitit. Thomas Sancheſius cuius de Matrimonio libros tota conſultorum natio nondum admirari deſinit, nunquam in horto folium ex arbore decutere nedum fructum decerpere ſolitus eſt. Alij nec chartæ folium dare, aut accipere niſi petita licentia conſueuerunt. Alijs cum ipſa natura ſibi aduerſantia horrente obluctatio omnium maximè ardua fuit: quam vt nonnulli heroo facinore ſuperarent, in noſodochia velut in arenam prouocarunt. Franciſcus Xauerius Sol ille Indicus, ad cuius radios tot locis cœca nox gentilitatis diſparuit, cum in valetudinario veneto ægris inſeruiret, & à certo aliquo præcipuè abhorrere naturam animaduerteret, cui ex fœdo vlcere ſecundum tibiam ſanies fœtore grauis, & aſpectu horrida ebulliebat, naturam iuſſit quidquid haberet virium, exſerere, ſe pariter non imparatum, in prælium venturum. Summo vtrimque conatu pugnatur: ſed illam licet diu obluctantem, ſuperatam ad purulentam tibiam proſternit, & apertis faucibus effluens tabum cogit exſugere: quo vno facinore totam naturam triumphauit, & deinceps ad nutum paratam habuit in omnibus. Quod autem admireris in opere omnium glorioſiſſimo difficillimoque æmulum nactus

est ex eadem Hetæriana Familia, fœcunda fortissimorum heroum parente Petrum Anascum, qui in Peru ex vlcerosis pedibus sæpenumero ebullientem saniem vermibus permistam ceu nectar exsuxit. Quisquamne vnquam de fortiore hoste magnificentiùs triumphauit? an non merito vterque hic inuictus heros nõ iam indecoro puluere, sed saniе sordidus multo, quã Romanus Imperator in curru triũphali, videatur augustior? sed quid hic de ijs dicã, qui hostẽ omnium acerrimum fortissimumq́; animum ira, aliâue cupiditate ardentem inuicto robore fregerunt? Quod vnum in terris omnium difficillimum, & in quo vno maximè Hetærianorũ desudat industria, fortitudo elucet, virtus triumphat. Finem non inuenero, si hic omnia persequi instituam: vnicum addo: fuit, qui æstuantis animi impetum subito ea vi repressit, vt venam ruperit è qua deinde generosissimus animus sanguinis sui purpurâ victoriæ nobilissimæ tesserâ clarus, vnà cum cruore egressus, eo ascẽdit quo veteres Heroes sui præsertim victoriâ illustres præiuerant.

Persica lustranda superabat, eaq́; copioso aureoloq́; fructu sese ornauerat, amœnumq́ue intuentibus spectaculum exhibebat, mala eiusdem cordis, folia linguæ figuram exprimebant. monuit Etesius in eâ Hetęrianorum animos beneficiorum memores indicari. Eos enim, cùm aliud non liceat, solere illis, à quibus beneficio affecti sint in grati pectoris signũ corda syncerissimis affectibus plena, & linguas in laudem facundas, ac fertiles offerre, idq́; in pomis & folijs

Per-

Persicæ adumbrari. Ad quæ Mnemon adiecit; nuper Hetærium cùm orbem peragrasset, & alibi quidē vernis opibus amęna viridaria, alibi campos in messem vberrimam albos, ac demum hoc etiam pomarium, tot nobilissimis arboribus, fructibusq; abundans inspexisset; & simul in memoriā venisset, quorum potissimum beneficio bona tam ampla possideret; altissimis cogitationibus defixum hoc pomariū obambulasse, & cum ad hanc Persicam peruenisset; substitisse aliquantum, & accuratè intuitum, tandem in hæc verba prorupisse.

Officij me nempè mones mea Persica; namque
Sat scio quid frondes, poma quid ista velint.
O! nostræ foret illud opis! foret illa facultas!
Debita tot meritis gratia quanta foret!
Ætherias huc vsque auras quod ducis, Hetæri;
Quod paßim præbent mitia tecta larem;
Quod pinguis commissa tibi, quæ sparsa Colono
Semina cum multo fœnore reddit, humus;
Quodq; tot illa tibi, tot dulces hactenus orbi
Fructus aßiduo culta labore tulit;
Queîs tandem, à magno cûm cedis numine, debes?
Prodiga quæ fudit dona tot ampla manus?
In circumfusas pelago circumspice terras,
Orbis in illustres inde tuere domos;
(Vnde tot Atlantes lucem vidêre, caducum
Qui fulsêre humeris fortibus orbis onus?)

Hi quàm magnificè de te studuêre mereri?
Illorumq́; Tagus quas tibi vexit opes?
Omnis adhæc ætas, ordo, sors, natio, sexus,
Munera largifluâ quæ tribuêre manu?
Quî tandem contracta tibi tot nomina solues?
Mox affusus humo, talia fatus ait.
O superum Rector, placido qui lumine cernis,
Compensasq́; pia, quæ benè facta, manu.
Regia largita est quæ munificentia nobis
Prodigus è gazis, oro, refunde tuis.
In nos at quorum tam gemmis diues, & auro
Obrizo, rubris depluit imber aquis;
Sera tuo adiungant se cœlo sidera: fusum
E gemmis gestent hîc diadema suis.
Pectora tum nudans subtili vulnere mandat,
Ad medium Eucharius cor sibi pandat iter.
Pandit: &, Hîc viuent, *inscribit, posteà lingua,*
Hæc canet: *insculpit. Munere functus abit.*
Tum, mea non, inquit, vobis monumenta facultas
O Mecænates constituisse sinit,
Vestra quibus tristi subducam nomina fato,
Ac incisa vetem marmore sculpta mori.
Hîc melius (simul ostendit sua pectora) viuent
Quæ vester vexit ditibus Hermus aquis.
Hæc, (linguam signat) dum vita manebit, in æuum
Vestra tot illustri munera laude canet.

De-

Deinde euulgata lege ſuis omnibus imperauit vt indies alij quidem ad aram in ſacrificijs, alij verò in precibus ſuis eorum meminiſſent, à quibus beneficium accepiſſent, eorundemque ſalutem, & incolumitatem Deo commendarent & pro eadem habita meritorũ ratione ſacrificiorum precumque numerum certum offerrent; ne ſua vnquam culpa beneuolentiæ vena perennis exareſceret. Perluſtratis iam ea ratione arboribus, in ſtadium, quod in horti medio ad longiſſimum ſpatium extendebatur, deflexímus, & per illud ad puteum & illi aſtantem arborem cæterarum omnium maximam acceſſimus. Hic quoque multa fuêre, quæ mirificè oculos noſtros oblectarunt. Ac inprimis ipſe puteus, è quo binæ virgines niueo amictu vtrinque aquam educebant in altum: tertia reliquis nihil diſſimilis eandẽ iam hauſtam arborum radicibus affundebat. Charites eſſe monuit Eteſius, non illas veteres, & Poëticæ genti decantatas, ſed alias à Soterio ſubmiſſas Hetærio, in huius pomarij vbertatem & decus. Earum opus hunc puteum eſſe: nobilem & vitalem vndam hinc hauriri, è cœlo enim influere, non è ſubterranea aliquâ venâ oriri: ab ea hortum, & arbores, & fructus viuere: hinc vim, virtutem, elegantiam, fœcunditatem omnem trahere. Eam gratiæ vndam ab Hetærianis vocari. quod ex alueo, in quem identidem indefeſſo labore aquam è puteo hauſtam adſtantes Charites effundebant, redundaret in riuum collectum in adiacentem foſſam defluere, quæ eâ de causâ viuâ ſemper aquâ abundet. Marmori, quod in putei

ora

orâ præminebat, hi verſus fuêre inciſi:

Has arbor bibit, has cultor bibit arboris vndas:
Quò plus hæ potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Deinde aſſita malus non minus admirationis habuit. Poterat illa non immeritò reliquarum Regina videri, tanto illas viſenda quadam ſpecie, & velut maieſtate; tanto fructuum copia & præſtantia, tanto proceritate anteibat. E ramis paſſim nobiliſſimæ quæq; gemmæ, aurei torques, & quidquid eiuſmodi cimeliorum orbis hic noſter habet, depẽdebat. Multo adiecit Mnemon, in hoc ſuo ornatu auguſtiorẽ eſſe illa Cyri platano, quam in amoris indicium precioſiſſimè, teſte Iuſtino, adornaſſet. Huius radices altiſſimas eſſe aſſerebat Eteſius, & toto pomario latiſſimè diffuſas, & arborum cæterarum radicibus inſertas, & propterea hinc eandem, quam è puteo virtutem attrahere, hinc virere, hinc creſcere, hinc fructus ferre. Eandem ab Hetærianis omnibus, quibus huius pomarij cultura commiſſa ſit, impensè coli, honorari, & ijs ornamentis, quæ videremus decorari ſolere; propterea quod illa Diuæ Aretæ ſacra ſit, quam Soterius in delicijs habeat, ideóque Hetærio vnicè commendarit, illius honorem, & decus per ſe, ſuoſque augere omni ſtudio laboraret. Infra eandem in menſa pomum aureum quatuor præſtantiſſimis gemmis, & aureâ cruce ſuprà eminente exornatum in patina ſtetit: in medio hæc erat inciſa epigraphe. Victori. Cum Mnemon id accuratiùs perluſtraret: ſimile inquit, in Imperij inſigne ad annum reparatæ ſa-

lutis

lutis decimum tertium ſuprà milleſimum Benedictus Summus Pontifex Henrico recèns inaugurato Imperatori obtulit, cum eidem Vrbem ingreſſuro, cum celebri Principũ virorum comitatu, & pompa inſigni, Româ penè ſubſequente vniuersâ, honoris causâ occurrit. Libenter hîc ego inquiebam, Eteſi conceſſerim, orbis Imperium non malè in eo pomo adumbrari, ſed qui noui hic Cæſares, quibus id in Imperij inſigne poſſit offerri? Imò verò excepit Eteſius, non raros hîc Cæſares & mundi Dominos, non magni illius, ſed alterius minoris, quem Microcoſmum nuncupant, inueneris. Et hoc ipſum ſanè imperium quià eſt altero longè difficilius, eodem etiam eſt auguſtius. Fuêre quamplurimi, qui cùm magnum hunc orbem cum Alexandro in poteſtatem redegiſſent, hunc minorem ſubiugare non potuerunt. Eſt quidem & hoc loci imperij ſignum hoc pomum, ſed ſimul eſt victoriæ præmium, quod inſcriptio ſatis indicat. Victori enim ex hoc ſtadio hac lege cedit, vt vnà cum illo ad Regnum & Imperium ius acquirat. Cùm enim vehementer optaret Soterius cum Hetærius ex illius imperio hoc ſtadium æquaret in curſum, eſſe quamplurimos qui hic curſu decertarent, cum facilè poſſet, auguſtius, quam vllus hactenus agonotheta, brauium proponere victoribus voluit, hoc nempe pomum auro, & gemmis nobile, & cum eo Imperium ſuum, nullo æuo terminandum. Itaque hic præcucurriſſe, & brauio donatum eſſe multò nobilius eſt, quàm in Græciâ Olympionicen eſſe, vel Romæ de multis

hostium millibus triumphasse. Quæres vehementer generosos, & victoriæ auidos animos accendit; & hinc factũ, vt plurimi inter eos summâ contentione cucurrerint, & cursûs præmium cũ immortali gloriâ sint consecuti hoc præmium in terris, & nunquam marcescentem lauream in cęlis: cum amplissimo felicissimoque Soterij regno, quo nũc augustis omnib. & quâuis humana maiestate maiores potiũtur. Habebat Mnemon in manu nomina præcipuorũ, qui hic vicerant, vnde perlegere licuit. Erant aũt sequẽtes.

Hic gressu cum sole pari Loiola *cucurrit*
Primus & è stadio præmia, poma tulit.
Xauier *hic vicit, rapidas dum fulminis alas*
Præuertit plantâ non feriente solum.
Hic quoque vicisti dux Borgia, *fulminis ales*
Quando fuit pedibus cedere iussa tuis.
Ætheris aligeri ciues, Lodoice, *volantem*
Hic sibi, pene pari, te stupuere pede.
Lechicus hic ausus, præcurrere perpete pennæ
Aëra scindentes Stanisilaus *aues.*
Hic Goto, Chusai, Michi, *retulere brauium*
Quando suas cursu præteriere Tygres.
Hic potuit præstante sui Laynesius *æui*
Ingenio Princeps, anteuolare notos.
Errantem celeri stellata per atria curru
Hic præ Mercurio Mercurianus *ijt.*
Hic Aquauiua *sua viuens virtute, rapaces*
Præuerti cursu posse probauit aquas.

No-

Nominis hic fama longum victurus in æuum
Salmerus, *alipedes ante cucurrit equos.*
Fusus in hoc ſpatium Iaiuſque Faberque *volantis*
Temporis aligeras vicit vterq; rotas.
Hoc ingreſſus idem Codurius, *atque* Broëthus
Vicit vterque alas Pegaſe tarde tuas.
Hic alij Heroes *celebres meruere triumphos.*
Dum pede vix libant gramina ſumma ſuo.
Anchietes, Ximenes, Sylueria, Strada, Rodriquez,
Nunnius, Aluarius, Ponte, Ribera, Goetz,
Natalis, Sanchez, Eguas, Norbrega, Suarez
Martinez Mendez, Pinna, Ledeſma, Lopez,
Guittirez, Sa, Barradius, Carrera, Padillus,
Barzana, Henriquez, Corduba, Villanoua
Gonzales, Barros, Barreira, Ouiedus Arias,
Correa, Granadus, Ribadineira, Gomez,
Ac alij plures, Hiſpanæ ſidera gentis
Æternum radijs clara futura ſuis.
Hic decora Auſoniæ Landinus, Spinola, Palme,
Alato tulerunt aurea poma pede.
Hic Bellarminus *ceu miſſa ſagitta volauit*
Alite vix planta tangere viſus humum.
Hic victor Colnage *tuos, hic inclyte* Tucci,
Hic *celebras Siculos &* Realine *tuos;*
Dum volucres, tranant quæ veſtra per æquora puppes
Audetis celeri præter abire gradu.

Hîc Belgæ prodromi cursu æquauêre priores:
Immortale suis & peperêre decus.
Hic sua Barzæum *vestigia pone legentem*
Xauier *âspexit præcipitante pede,*
Berckmannumq́ue *suum plantis* Aloysius *æquis*
Hîc sua conspexit iam propè terga sequi.
Hîcque sui vicit properantia flumina Scaldis
Costerus, *Vahalis* Canisiusq́ue *sui*
Danubijq́ue sui Rhemmus, Rheniq́ue præiuit
Hoffæus *rapidum præproperantis iter.*
Sanguinis hic rosei rubicundo murice claros
Laudauit prodromos Anglia læta suos.
Doctos laude pedum volucres anteire Camillas,
Inter quos Princeps Campinianus *erit;*
Alter Ogilbeus, *longus quos excipit ordo*
Heroum, vexit quos super astra fides.
Hæc niueis nam Diua pedes innexuit alis,
Et sic ætherium carpere iussit iter.
Et quia iam nôrant volitare per aëra plantæ,
Assuetis minùs hæc ardua visa via est.

Hos omnes & propè innumeros alios ex omnibus nationibus addebat Etesius & hîc aureo illo, & gemmeo pomo donatos à Soterio, & illic in regno illius imperij insignia coronam ex semper virente lauro, & ex solido auro sceptrũ gemmis nobilissimis distinctum, purpuram denique asteriscis fulgentibus vndiq; ornatam accepisse; ibidẽ cum ipso in omne æuum in aureo Throno sublimes regnaturos.

Tempus

Tempus iam admonebat aliò abeundum; ſol enim paulatim in meridiem aſcendebat.

OCTOBER,

FRVCTVS PROXIMO ORTHODOXO exhibitos complexus.

VBI exceſſeramus pomario vlterius ituri, in propinquo, inquit, Eteſius vinea eſt, quo pergimus, nobiliſſima è quocunque capite conſideres. Conditorem ſpectas? Soterius eſt, qui eam ſua ipſius manu plantauit. Cultores? Hetærius eſt cum ſuis: qui vinitorum excellentium officio ad amuſſim perfuncti nihil hactenus vel artis vel laboris omiſerunt, quem in vinitore eximio requiras. Solum & cœlum? vtrumque benignum habet. Vites? è nobiliſſimis quibuſque vineis traduces ſunt, vuarum adeò feraces, vt ſub Octobrem maxima copia & viſenda magnitudine botros nobili liquore turgentes oſtentent; amœnum intuentibus, dulce colonis ſpectaculum. Interim dum ea in auidas aures Eteſius infundit, eò iam veneramus, vt in oculis vinea eſſet. vbi acceſſimus eam viua ſepe, firmo aduerſus feras, ac fures præſidio vidimus communitam. In porta, quæ bene ampla aditum dabat, ſolerti penicillo depictus paterfamilias Euangelicus hoc dicto: *Ite & vos in vineam meam*; circumfuſos ſibi Hetærianos habitu, & armis vinitori neceſſarijs inſtructos, & iā ad iter paratos alloqui viſus eſt. vbi intrauimus ſitus ante omnia in oculos incurrit. Senſim autē ab imo in collem aſſurgebat,

ſupra in ſyluam deſinens. Potius nemus aut pomarium, quã vineam referebat, ſi noſtrates attendas. Nec enim vites vti noſtrates, aridis palis, & ſalice, aut corylo; ſed arboribus erant annexæ. Eædem ſpatium ampliſſimum in longum, & latum occupabant: ſingulas certa interualla diſiunxerant, ne vicinitas aiebat Eteſius, aut ſolis radios impediret, aut ſuccum præriperet. In vitibus multa fuerunt, quæ nobis non mediocrem admirationem mouerunt. ac inprimis inſolens earundem magnitudo, qua maximam partem, eæ præſertim quæ primæ occurrerunt; noſtrates pyros, & pomos magnitudine æquabant. minùs tamen mirari nos iuſſit Mnemon. Nam aiebat, ſi, Straboni credimus in Margiana vites adeò magnæ excreſcunt, vt earum ſtipes coniunctis duorum vlnis ambiri non poſſit. Plinius item memoriæ prodidit Populoniæ viſam à ſe vitem, è qua Iouis ſimulacrum confectum ſit, quod in multos annos incorruptum perdurârit. Deinde in ſummam admirationem nos rapuit vuarum è racemis pendentium magnitudo, & copia; quâ inſpectâ cœpimus minùs admirari botrum ex vecte ſuſpẽſum à Chalebo, & Ioſue è terrâ promiſsâ ad Iſraelitarum caſtra aſportatum. vuas enim hic vidimus, quæ duas, treſúe vlnas logitudine excedebant: & acini prunis noſtratibus nihilo minores erãt. Et tamen eiuſmodi addebat Mnemon in Mauritania & Carmania, vt plurimum naſci: Imo in Eucarpia oppido minoris Aſiæ racemos adeò magnos aliquando creſcere, vt eorum ſinguli iuſto pondere currum

onerent,

onerent, & quandoque ſub vno tali plauſtrum ex oneris magnitudine confractum concidiſſe. idem ex Leonio adiecit, in Africa in vrbe Thagodoſtia acinos ob magnitudinem domeſtico vocabulo ab incolis oua nũcupari. vuor iam maturus, probeq; à ſole excoctus, ex acinis tralucebat, quem addebat Eteſius, quidquid vnquã virtutis, præſtantiæ, dulcedinis vlli vuarum generi inditum fuiſſet, in ſe complexũ; faceremus, ſi placeret, periculum; experturos. Fecimus & ea dulcedo palato infuſa eſt; quæ non perinde exprimi lingua poſſit, atq; ſentiri: Tum nec illud admiratione caruit: quod ſingulæ vites certis arboribus alligatæ eſſent. Ac primę quidem, in quas incidimus, per aliquot iugera proceris quercubus adhæsêre: quarum racemos botri pręgrandes onerabant ac inclinabant in terram, ideoq; pedamentis, ne oneri impares ſuccumberent, paſſim fulciebantur. Cùm præter id, quod incurrebat in oculos hic latere aliud certũ eſſet, nõ tamen, quid tandẽ id eſſet, quod excelſæ hæ cedri, & quercus, quid ea pene ad prodigium immanis vuarum magnitudo, & vbertas in ſe myſterij clauderet, ſatis liquido cõſtaret; ad Eteſium ego conuerſus, quid inquiebã Eteſi, hæc indicant: aut potius quẽ fructũ, cum de eo hìc agatur, in proximũ auitæ fidei ſocietate coniunctũ ab Hetærianis deriuatum adumbrant? Eum reſpondit. quem ij Hetæriani hactenus orbi Catholico pepererunt qui in exedris ſacris ſublimes audientium animos à vitijs ad virtutem reuocare ſtuduerunt. quos aut acri oratione ceu fulmine perculerunt, & velut obluctantes coëgerunt, arma in ſcelera ſuſcipere, aut leni ſermone, ceu placido flumine delinitos

amica-

amica vi, induxerunt, vt ſponte vitijs bellum indixerint. Vt autem pleniùs, aiebat, omnia, quæ hæc vinea ſignificat; intelligatis atq; vt ſenſim ex caligine in lucem abeamus, primo quidem paucis declarandum eſt, cur potiſſimum vinea ad fructus proximo Catholico ab Hetærianis allatos indicandos electa ſit: tum deinde, quam aptè ſimulacra cum re conueniant. Ac ad illud quidem potiſſimum ſumma in terris auctoritas Romani Pontif. mouit. nam Gregorius XIII. qui nec amantiſſimo parenti in amandis Hetærianis cõceſſit illos induſtrijs, & gnauis vinitoribus comparauit; qui inſigni cum fructu in vinea Domini laborent. ex quo & illud conſequens eſt, non alias hic vites, niſi proximos, nec alias vuas, niſi opera ipſis exhibita, & fructus ex his enatos intelligi. Quemadmodum verò non eadem eſt vbiuis gentium vineæ colendæ ratio: aliter enim Italus, & Hiſpanus, aliter Francus & Germanus, aliter aliæ rationes vites ſuas excolunt. Nec idem culturæ genus tellus vbiuis admittit: nec labor hîc omnibus idem, nec omni tempori conuenit. Alius enim alias vires, & inſtrumenta, & aliud tempus exigit. nũc enim paſtinanda eſt vinea, & ab homine quidem non imbecillo; nunc putanda, & pampinanda eſt, quod etiam leui negotio ij fecerint, qui viribus cœteroquin non magnopere pollent. Ita & Hetærius expenſis accuratè ſingulorum viribus, vt eſt prudentia ſingulari ſuos certas in claſſes in proximi Orthodoxi cultura diuiſit. Et ſuum cuique laborem, & laboris materiam, tempus & modum aſſignauit: ne alter hic

alteri

alteri eſſet impedimento. Alios itaque ſuggeſtus iuſſit aſcendere, ac in eo totos eſſe, vt Chryſoſtomos, ac præſtantiſſimos quoſque è Chriſtianis Oratores imitati, Auditores à ſcelerum auijs abductos in rectam ſalutis viam exquiſita dicendi copia reducant; alios aut etiam eoſdem alio loco, & tempore eò præcepit omnem conatum pro virili cõuertere, vt pacem, & concordiam, ſicubi proſcriptæ exulent, ſuas in ſedes reſtituant. Alijs Noſocomia, carceres, triremes, cum iniqua Fortuna, cum fame & ſiti, alijſque id generis miſerijs conflictantes commiſit; quos re; & conſilio vbi, vbi poſſint, omni ſtudio adiuuent. Alios in ſcelera Iudices conſtituit, quorum ea ſit prouincia ſcelerum reos mortales cum offenſo numine in gratiam reducere , & reductos in eadem conſeruare : Alijs denique hoſpites & peregrinos commendauit quos ad Menſam cœleſtem inuitent, & inuitatos epulo diuino paſcant.

Nunc videamus quam rectè in primis in Cedro , & Quercu eximius concionator, & hac tanta vindemiæ copia, & vuarum magnitudine fructus concionibus partus indicetur. Excelſis arboribus gaudent vites, nam vinitor

——*Adulta vitium propagine.*

Altas maritat populos. cedros autem, & quercus reliquarum arborum, excellens Orator reliquorum hominum vulgus excedit; illæ quidem alto vertice ; hic vero loco ſublimi, & muneris dignitate. Quercus deinde radicum firmitate, & ſolido robore ventorum, Orator obtre-

ctatorum minas ſolida virtute contemnit. Cedrus deniq; à carie, Orator à vitijs immunis eſt, ijs præſertim, quæ cõtagione ſuâ latius ſerpunt. ſi enim is, qui aliorum saniẽ deterſurus eſt, ipſe putredine diffluat; ab eo non fructus eximius, qualem hæ vites oſtentant, ſed peſtis expectanda eſt. Quamuis verò hæ vuæ tantæ ſint, vt videtis; tantam deinde nobiliſſimi, dulciſſimique liquoris copiã in ſe contineãt; fructus tamen illius magnitudinem non ſuperant, quẽ Catholici ex Hæterianorum concionibus hauſerunt tum, cũ ipſis ex alto dicentibus beneuolo ſe affectu adiunxerunt: eiſdemque, ceu vites hæ Quercui, & Cedro, pio ſalutis adipiſcendæ, & diuinæ voluntatis clarius cognoſcendæ deſiderio cohæſerunt. vt autem ſibi non inuiti, ſed ſumma voluntate cuperent adhæreſcere, varijs rebus Hæteriani Eccleſiaſtæ aſſecuti ſunt. Ac primum quidem, quod antequã exedras aſcenderent, egregiam virtutem cum exquiſita ſcientia iubente Hetærio coniunxerint; nec minus illuſtri vitæ integerrimæ exemplo, quàm lingua diſerta conati ſint dicere. Eiuſmodi autem concionatores hactenus in omnibus regnis, prouincijs, vrbibus ac locis, vbi Hetærius domicilium fixit, extitiſſe, facta teſtantur, & præclara auditorum de ipſis Elogia. Paucula perſtringamus. *Benedictus Palmius* Tuba Euangelica & ſummus æuo ſuo Italiæ, *Ioannes Hieronymus* Hiſpaniæ, *Edmundus Augerius* Franciæ, *Petrus Caniſius* Germaniæ Orator audijt; & vero tanti nominis amplitudinem rebus impleuiſſe eæ regiones teſtes

Teſtes ſunt, quæ dicentes audiuerunt, admirætæque ſunt. *Alphonſus Salmeron* nouus Orbis Chriſtiani Chryſoſtomus, *Franciſcus Strada* Angelus lapſus è cœlo *Sylueſter Lãdinus* ſpiritu & virtute Eliæ præditus *Georgius Scherer* Cicero Germanicus dictus eſt: cuius extremi conciones primum publici Iuris factas Epiſcopus quiſpiam maximo numero coëmit, &, in omnes ſuos curiones diuiſit.

Operæ pretium ſit his tacita auditorum teſtimonia adiungere. Franciſci Stradæ audiendi gratia tanta ſolita eſt hominum multitudo confluere, vt illi capiendæ nec Salmanticæ, nec Oliſſipone celeberrimis Hiſpaniæ vrbibus templum vllum ſuffecerit, ideoque vt omnium deſiderio fieret ſatis cathedra in Regis Catholici capaciſſimam aulam transferenda fuerit. Eidem in horas etiam plures creſcente identidem ex auditis audiendi deſiderio aures auidiſſimas innumera multitudo præbuit. Bernardus item Oliuerius Tornaci extra templum dicere compulſus eſt, cum id auditores non caperet. Alphonſum Salmeronem perorantem audituri grauiſſimi Venetæ Reipublicæ Patres, in concionem alias teretes, & eruditas aures afferre ſoliti horam loci occupandi gratia ſæpius præuenerunt. Franciſcum Toletum poſt purpuratum patrem, annis XXIV. Curia Pontificia, tres Summi Pontifices, præter alios plurimos Infula, purpurâ, dignitate, eruditione illuſtres viri ſummâ cum admiratione audiuerunt.

Nonnulli his omnibus auguſtius ſuæ eloquentiæ eloquentiæ elogium è cœlo habuerunt. Nam *Franciſcus Ribera* eruditiſſimis ſuis in diuinas literas commentarijs orbi iam notus, cum aliquando die ſancto Andreæ ſacra de diuinæ ſcripturæ dignitate diſſereret, ſubitò clariſſima luce circunfuſus eſt, in qua Chriſtus immenſa Maieſtate collucens apparuit; & vox audita; hunc genuinum eſſe ſcripturæ ſuæ interpretem. *Franciſcus Arias* cùm ad Concionem ſe pararet, quâ deinde mortalium animos velut humi defoſſos erigeret in altum, ipſe diuina vi à terra eleuatus benè longo tempore hæſit ſublimis in aere. *Sylueſter Landinus* quem Ægidius Foſcararius è ſanctiſſima celeberrimaque diui Dominici familia ad Inſulam Metinenſem euocatus in literis ad *Ignatium* datis eximia & vera virtute & probitate præditum vocauit, imparatus iubente obedientia dixit, ſed ea vi, & fructu, vt vix vnquam maiore. Nam templum auditorum ſingultibus inſonuit, & maduit fletu, cœlum quod defuit, ſuppleuit: & quia auxilio iuuit, teſtimonio comprobauit. Deinde præſtantiam Concionatorum Hetærianorum fructus declarat, quem neceſſe eſt vberrimum ab iam enumeratis, & alijs his ſimilibus vbiuis terrarum in auditores redundaſſe. Neque enim fieri poteſt, quin præclarus artifex, & numeris ſuis omnibus abſolutus egregia opera efficiat, modò efficere intendat, & alia non deſint. Pauca & de his delibemus. Quod multis in locis melior orbi, inducta ſit facies, & in priſtinos,

auitoſ-

auitosque mores reformata; quod multa centena hominũ millia nuncio rebus humanis remisso sanctissimam vitam in Religione duxerint; & ducant etiamnum; quod innumeri actæ vitæ scelera acri pœnitentia expiârint, sordes lachrymis eluerint: atque è virtute deinceps vixerint: quod tenerior quidam sensus pietatis mortalium animis se sensim insinuarit: cœperintque celebrari hominum frequẽtia ædes sacræ, adiri sæpiùs Sacramenta: quod prauæ consuetudines abrogatæ, laudabiles inductæ: quod imminuta rerum caducarũ, & vilium desideria, cœlestium aucta; quod vsuræ, quod nefariæ libidines, odia & id generis enormia flagitia proscripta: quod palam cum triumpho virtus cum omni comitatu suo redire ausa sit, vt plura alia eiusmodi consultò prætercam maximam partem (verbo absit inuidia) ab Hetæriana eloquentia perfectum est, cum illa in exedris stetit, & hinc aut fulmina torsit, aut misit flumina. Omnibus nota non probo. quid tamen vnus, aut alter dicendo subinde effecerit, dicam: vt hinc difficilis cõiectura non sit, Quid & alij fecerint. Iam sæpiùs nominatus *Salmeron* Venetijs in id fœminarum genus è suggestu detonuerat, quæ pudorem in collo, & pectore plus æquo denudato venalem circumferunt: quibus quàm difficulter ea vanitas excuti possit, vtinam experiẽtia non probaret: à concione decem, & eæ reliquarum duces, ac Principes suo pudori, & aliorum oculis consuluerunt: quas mox plures subsecutę sunt. Idem Cathedris concessa libertate in senatum minus seuerum,

& acrem in eijciendis vrbe Hæreticis inuectus, id effecit, vt quamprimum publico decreto quidquid eiuſmodi fęcis in vrbe deliteſceret, iuſſerit primo quoque tempore excedere. Paſſim videre fuit honeſtiſſimas matronas ex Benedicti Palmij concione egreſſas torques aureos, & alia id generis in fruſta diſtrahere, & in egentes diſtribuere, cum Palmius in miſericordiæ affectum intima viſcera commouiſſet. Adhortatione Fernandi Suarez accenſi Mexicani adeò in ſua ſcelera exarſerunt, vt ſubinde xx. millia fuerint à concione illius qui in carnem ſuam flagris acerrimè deſæuirent. Sebaſtianus Barradius virtute & eruditione clariſſimus quantum dicendo poſſet, oſtendit, cùm aliquando per verni Ieiunij dies diceret. Eo enim tempore tanta lectiſſimorum Adoleſcentum copia, ad Seraphicum Ordinem conceſſit, vt ex eo non nemo ad Barradium venerit, rogarîtque à dicendo porro deſiſteret: locum enim ſibi iam non eſſe, quo ad ſe aduentantes recipiat. Inter hos vnus fuit Veneris delicijs omninò ineſcatus. Is per eos dies rei diuinæ audiendæ gratia ædem Hetærianam fortè ſubierat. Commodum autem accidit, vt ea abſoluta Barradius ex more dicturus Cathedram aſcenderet, quamuis vero ea voluptas non eſſet, ſubſiſtere tamen placuit, & vel corpore concioni intereſſe, & verba dicentis auribus ſaltem excipere. Excepit: ſed per aures ſenſim in animum illapſa eundem ſubito ita immutarunt, vt è templo alius egreſſus ſit, ac intrarat. Nam vim habituro decreto ſtatuit delicias fame ſub Seraphica diſciplina

plina

plina edomare; cui se paulò post subiecit. Narrabat hîc Mnemon nuper concioni se interfuisse, quam ex Hetæria-nis nonnemo habuerit, ac in eadem in varios affectus Auditorum animos vidisse excitatos. Alios enim ita in scelerum suorum odium adeo exarsisse, vt vbertim in doloris acerrimi argumentum lachrymas oculis effuderint: alijs ferrum è manibus, inueterata odia ex animis extorta esse: alios omnes salutis remoras amouere, aliena restituere, castè, sanctéque porrò viuere decreuisse: alios in via salutis quamuis difficili statuisse progredi: alios denique in alios animi sensus prorupisse, ac ex ea concione tantam morum mutationem subsecutam, quam vrbs vniuersa, ac eius inprimis proceres, ac Rectores admirari satis nõ potuerint. Rogatus idem à me causam, vnde ea vis Hetærianæ Eloquentiæ inesset; qua adeò mira in audientibus efficerent à sole est, inquit, qui non minus est Concionatoribus, quàm vitibus benignus, iussus huius suæ sententiæ rationem reddere in hunc sensum numeros consilio suo aptiores adhibens, cœpit.

Scanderat Orator generoso natus Hetæri
Sanguine, præclarus nostri Chrysostomus æui
Pulpita, subiectum sacræ pia dogmata legis
Docturus populum: vitæ vix verba diserto
Cœperat ore loqui; cum per tralucida fulgens
Phœbæi vultûs radius se vitra penetrat;
Dicentisq; petit pectus, quod leuius omni

Effulsit

Effulsit speculo, lumenq́; retorsit; in vnum,
Hic sol collegit vires, & compulit acres
In flammas sensim succensum ardescere pectus.
Feruidus hinc æstus reliquos infusus in artus
Paulatim accreuit, dum totum incendia corpus
Inuadunt; Iubar hinc rursus solare resultans
Substratæ circum sibi plebis in ora tetendit:
Quæ sensim radiare nouo cœpêre vicissim
Lumine, paulatimq́; nouis ignescere flammis:
Donec & ipsa suis iam circumfusa niterent
A radijs, igniq́; suo succensa flagrarent,
Qui simul atque fuit venas diuisus in omnes
Corporis, ac fibras, non iam secus assita plebes
Canduit à flammis, ac è Trinacride ferrum
Exemptum fornace solet, quod Lemnius aptat
Malleus in formam. Iam totus abiret in ignes
Auditor, si non in tanta incendia riuos
Suggererent oculi. sed cum traxisset in altum
Sol idem humores, coiëre per aera nubes
Et medium clausêre ignem, qui nescius abdi
Luctatur prodire foras, sed nubilus agger
Intercludit iter, passim tamen emicat atris
Nubibus. Hæ rauco quassæ sonuêre tonitru,
Vi quoties tentauit iter, dum mutua durant
Prælia, succrescit fulmen, quod nubila rumpens
Obuia terrifico cum murmure fertur in imum

Plebi-

Plebiq; insultat. Quotquot Ceruice steterunt
Erectâ collisit humo: certantia ferro
Pectora, brumaliq; gelu durata, liquentis
Molliit in Ceræ morem. Corda acriter illis
Ambußit flamma; nonnullis intima fregit
Ossa cute illæsâ; stupuit pars maxima vitæ
Nescia, submissoq; arsit diuinitus æstu.
Continuo sequitur vi non excussus ab alto,
Sed sensim guttis placidè labentibus imber
Destillans, imos qui cum se fudit in artus,
Pectoris accensi flagrantes leniit æstus,
Et dulces lachrymarum oculis rorantibus vndas
Elicuit: venâ fusæ quæ diuite flentem
Per vultum, oppleruntmira dulcedine pectus.

Vehementer arrisit ea ratio Etesio, eandemq; confirmans. Est verè, inquit, vt dixit Mnemon. A vultu solis Diuini vim suam omnem Hetæriani hauriunt qua audientium animos tam facilè, quo volunt, virtute nescio qua velut fulminea impellunt. Dictum est autem iam superius quando huic se soli illustrandos sistant: cum nimirum proxima à somno hora rerum diuinarum contemplationi vacant. Hìc radios diuinę lucis in pectore à sceleribus immuni colligunt, vnde deinde ea fulmina existunt.

Sed iam tempus est, vt vites oleæ iunctas adeamus. Erat olea nostratibus longè maior: vites autem non in eam quidem altitudinem, & crassitiem excreuerant, in quam prio-

res;nec ea magnitudine,& copia vuæ ex ijſdem pendebant; cultoris tamen auaras ſpes expleuerant & labores centeno fœnote cōpenſarant. Mihi hìc aliquot guſtādas cū obtuliſſet Eteſius, cęleſtem quandam dulcedinem ori inſpirarunt. Mihi hìc adeò felicem, & fęcundam vitium cum oleis coniunctionem admiranti, animumque huc, illucque cogitatione impellenti, quinam potiſſimum fructus hîc videretur indicari,opportune in mentem Virgilianum illud venit

Paciferæq; manu ramum prætendit oliuæ.

Ex quo conieci & oleam pacis ſymbolon eſſe,& eos in ea deſignari, qui pacis ſtudio accenſi in id præcipua cura incumbant, vt ſicubi aureus nexus eiuſdem ferro diſruptus ſit,reparent; & capitales hoſtes eiuſdem,iram,& odium,ex orbe,& pectore Chriſtiano proſcribant. quam ego coniecturam vbi Eteſio aperui, eandem mirificè collaudans rem verò ipſam,inquit Sanouiſe attigiſti .quantus verò hic fructus extiterit hactenus inde liquet. quod Hetærius toto ſeculo ſuo annum vix viderit, in quo non aliquot hominum millia odijs acerbiſſimis diuulſa, & iam iam diſtricto ferro in mutuam perniciem concurſura ad pacem, & concordiam mira induſtria reduxerit.Sæpè integras familias, & vrbes capitali inimicitia diſſidentes, & iam exitio vicinas ab interitu vindicauit. Parentes, & liberos, ſanguinis & amicitiæ vinculo coniunctos, & quoſcunque natura, vel charitas ante copularat, poſt autem mutua odia diſiunxerant, priſtini amoris nexu reuinxit tam multos,vt vix numerum

capiant.

capiant. Huius autem nobilissimi fructus precium, is demum rectè æstimabit, qui probè nouit, quàm in humana societate necessaria & præstans res sit animorum consensio. Nam in primis est

Paruis Diues concordia rebus:) ac sine hac vita mortalium acerba & misera est, & bellis infinitis turbida; Cúm hac autem dulcis, beata, ac tranquilla. Quod in humano corpore membrorum campages, quod in mundo rerum, nexus est, hoc in hominum consortio concordia est: nec illum é corpore, aut mundo, nec hunc ex animis mortalium sine præsenti exitio sustuleris. Et hinc est, cur ea res ita curæ & cordi Hetærianis fuerit, & quidquid eloquentiæ, solertis ingenij, & charitatis habuetunt in hanc rem deprompserint. Infinitum autem sit hic illustrissimas victorias à pertinacissimo hoste nobili cum triumpho reportatas omnes narrando percurrere: aliqua pro more adducamus. Nam ne iusto quidem volumine complexus omnia fuero, quæ hic præclara cum laude ab Hetærianis gesta sunt.

Hunc capitalem animorum, & humanæ societatis hostem, alias aperta vi aggressi sunt, & velut refraganti vltionis arma extorsêre; alias blanda sermonis dulcedine mira quadam animi submissione delinitum, eo sensim inflectunt, vt sponte eadem deponeret. Illuc pertinet quod Benedictus Palmius, sæpiùs quidẽ nũquã nimis laudatus Messanæ in Sicilia gessit. Illic Sebastianus Ansalonius, vir genere illustris præcipua inrer suos auctoritate pollebat. Hic ab

alio iam in septenniũ capitali odio dissidebat, cuius & vitæ tamdiu insidias struxerat; dum tandem illi eundẽ fortuna in manus obtulit: in carcerem itaque compegit paulò post ad supplicium euocandum. Causa erat quod fratrem illius nescio, qua è causa occidisset. Interea vrbs etiam vniuersa, vt fit partium studio diuisa, & ipsa grassante palam discordia & vltima omnia minante, pari dissidio diuulsa erat. Venit eodem Benedictus Palmius nondum sacris initiatus; re intellecta ab animo Ansalonij iram, ab vrbe funestum dissidiũ exturbaturus, exedram die Christo patienti sacra ascendit, & indè tanta in eos acrimonia dixit, qui ne tantillum quidem dulcissimi seruatoris amori concederent, vt in eius aliquam velut remunerationem iniurias proximis condonarent, vt ex omnium oculos lachrymas, ex Ansalonij pectore vltionis cupiditatem, & inueteratum tot annis odium exexcusserit. Nam is, cum insolens æstus animo insideret, & iã claudi non posset amplius, foras in media concione prorupit. Clarissima voce exclamat Ansalonius, dare se manus: Velle eius arbitrio stare. Vbi Palmius palma nobili potitus è suggestu descẽdit; ad eius se pedes Ansalonius prouoluit; & sanctè asseuerat se templo pedem nõ ante elaturũ quàm omnes inimico iniurias iuxta leges, & placita iuris remisisset. Adscitis igitur Tabellionibus è carceris squalore captiuus educitur. Illius manus fraterno sanguine conspersas deexosculatus in noui amoris indicium, cum mirifico vrbis vniuersæ applausu amicum dimisit, quem hostem & homi-

homicidam ceperat,&ne porro ſimilis iræ occaſio, & facultas foret Seraphicis ſe adiunxit. Salmanticæ quiſpiam in alterius vultum pugionem defixerat non ſine magna formæ iacturâ. Saucius in eam iram exarſit; quæ non niſi fuſo alterius ſanguine reſtinguenda videbatur. Tentata varia ad hominem ſedandum irrito conatu. In eum ita irâ ardentem Franciſcus Strada incidit;ad pedes illius ſe abijcit: per precium fuſi à Chriſto ſanguinis rogat, ſinat per hunc obduratum in vltionem pectus emolliri: quibus verbis ceu hircino cruore adamas,animus emollitus iniuriam remiſit: qui vitam appetebat Salmantica tota applauſit: vtrique victori: Stradæ quod iratum,ſaucio quod inimicum nouo victoriæ genere viciſſet. Comi pro foribus templi ex inſidijs quiſpiam inimicum exſpectabat in necem. Eodem preces fuſurus intrarat Carolus Carlantinus vir inter Hetærianos,non vna virtute illuſtris:precanti diuinitus innoleſcunt hominis nefarij conſilia:Egreditur & vultu in iram compoſito,quid inquit,hic operiris infœlix! quid ſceleris machinaris? ſimul manu prehenſum inducit in templum; in ſacro tribunali ſibi ſupplicem ſiſtit: mirabili ſermonis dulcedine iram expugnat;telum extorquet,in ſcelerum odium incitat,&,ne deſint vndæ irarum flammis extinguēdis,vbertim lachrymas fundit,eoque paulò poſt conceſſit, vbi ſub religioſa veſte admiſſa ſcelera expiauit.

Fuit cum etiam inter orbis Monarchas Hetærianorum opera concordia & publica pax coaluit; Antonius enim

Posseuinus eruditione, virtute, rerum gestarum gloria clarus, missus à Summo Pontifice Gregorio XIII. Legatus in Moscouiam: Eius nomine pacem cum Orbis Christiani mirifica gratulatione inter Serenissimum Poloniæ, Sueciæque Regem, & Magnum Moscouiæ Ducem nō sine maxima raræ prudentiæ laude fecit. Inde facilè cuiuis est perspicuum, quàm insigni iniuria Hetærium hactenus nonnulli affecerint, qui eū bellorū inter orbis Monarchas auctorem pudendo mendacio passim proclamarunt. Non serere lites, sed componere Hetærianorum est, vt qui tot innumeros vbiuis gentium, iam iam corpore & animo morituros æternum à duplici interitu vindicatos, & hic diutius in terris & illic beatè in cœlis iusserint viuere. Cùm aūt & hic breuius iter esse per exēpla nosset, quā per præcepta Hetærius; etiam hic faciendo docuit, quod ab alijs fieri voluit. Vt enim nihil auersi, & alieni animi in suis resideret aduersus eos, à quibus iniuriam accepissent, preces pro eorundem salute omnibus indixit iussitque vbi possent, re & consilio adiuuarent. quod ipsi integrè executi pro iniurijs beneficia, pro odio amorem reddiderunt, quoties recta & prudens charitas postulauit qua in re *Loyolæus heros* suis illustri exemplo præiuit. Cum enim contubernalis illi litteraria subsidia furto sublegisset, & Rhotomagi paulò post idem in grauem morbum esset delapsus, eodem ille se quamprimum cōtulit, ægro omnia humanitatis & sinceri amoris officia exhibuit. Aliū idem hominem nefarium, qui vitam

vitam ipſi Pariſijs erepturus fuiſſet, niſi cælum obſtitiſſet, quiq; Romæ deinde vix ſurgentem Hetærianorum familiã calumnijs ferè oppreſſerat, nouo vindictæ genere, amore & beneficijs vlturus inter ſuos iam facti pœnitentem recepit. Inter quos tamen non perſtitit. Petrus Correa, Thomas Garnetus, Ioannes Ogilbeus inuicta animi magnitudine nil priſcis Martyribus inferiores pro Chriſto ſanguinem fuſuri, pro inimicis & hoſtibus ante Deo ſupplices acciderunt. Petrus Venuſtus Sacerdotem quempiam patrocinio ſuo in Siculi ducis aulam prouexerat, eodemque cũ ob malè merita ducis gratia excidiſſet, reduxerat. Is deinde illi in tanti beneficij locũ foris domũ redeunti caput triplici ictu vſque ad cerebrũ diffidit, & ſuo ſeſe in ſanguine volutantem, iamque cum morte colluctantem reliquit. In eũ ita miſerè exceptũ paulò poſt ciues incidunt, quibus ob eximias virtutes in primis carus erat, ab ijs rogatus noſſetne parricidam; annuit; ſed cũ prodere iuberetur, alia ab eo vox exprimi non potuit niſi illa. Deus illi ignoſcat: & ita genuinus Hetærij, & pacis filius ſuauiſſimè emortuus eſt. Cur aũt Hetæriani in remittendis iniuriis tã faciles ſint, & alios viciſſim adeò faciles reddere elaborẽt, & ſoleant; amor facit quo in Soteriũ ſuũ ſynceriſſimè ferũtur, cui ſciũt nil peræq; iucundũ eſſe, ac animorũ coniunctionem, nil æque diſplicere, ac odia ad quæ proinde tollenda mortales acceſceſſerit, hiſq; mutuæ charitatis legẽ tulerit ſanctiſſimo ſuo exemplo præclarè firmatam, dum atroces illis in ſe iniurias

con-

condonauit. huius veſtigijs ipſi inſiſtunt, huius exempla imitantur: & hinc eſt cur hic olea cum vite iuncta ſit, quia & ipſe olim ad vulnera ab hoſtili manu latronum illata perſananda, vinum & oleum adhibuit, & ita docuit nihil ea coniunctione ad curandos hominum animos à lethali hac plaga eſſe efficacius.

Nunc ſi placet ad eas vites accedamus, quæ in hac vinea latiſſimè diffuſæ, & vlmum amicam ſibi inprimis & fidam arborem amplexæ ſunt. Nam

Vt vidua in nudo vitis, quæ naſcitur aruo,
Nunquam ſe extollit, nunquam mitem educat vuam:
At ſi fortè eadem eſt vlmo coniuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi accoluere iuuenci.

Feliciſſimè itaque ex adeo fido conſortio vites profecerant, fructuum dulcedine & copia cum reliquis certabant. Vlmi aliæ exaruerant, & nihilominus vel emortuæ officij ſibi crediti memores, fidam operam adnexis ſibi vitibus impendebant, & hæ reliquis ferè erant vuarum feraciores, ad extremas loco excelſo & à nobis aſpectabili conſitas, iã vindemiatores, quos eminus videbamus, vuas lecturi acceſſerant. Pridie enim Autumnus ijs legendis diem dixerat.

Dum inter medias has vites ambulamus, eaſq; Litholeon curioſius perluſtrat; exiſtimem inquit, Eteſi per vlmos has altem emortuas rectè eos repræſentari, qui proximo ſuo cum valetudinis, & vitæ iactura profuerunt, quales verbi

gratia

gratia, ij ſunt, qui incredibili charitate accenſi illis, qui peſte alióue morbo noxium virus latiùs ſerente infecti ſunt, inſeruiunt, quorum plurimi dum alijs animę vitam procurant corporis amittunt: Perſpicax Litholeōtis ingenium quo rem ipſe viderat dilaudat Eteſius, & ſimul copioſiùs deducturus; vlmi hæ inquit eos adumbrant qui calamitoſis, & miſeris auxilium ferunt, quorum totidem claſſes ſunt quot miſeriarum genera, quæ mortales premunt. ducamus ab ijs initium, quos corporis ægritudo inter miſeros ponit, hi plus penè ſubſidij ab Hetærianis, quàm à ſanguine & amicitia nacti ſunt. Illi enim, poſtquam ſe infirmis arcto amoris ſynceri vinculo velut vlmus viti ſuæ adiunxerant, promptā fidamq; animo, & corpori opem attulerunt. Ac animum quidem ſuauiſſimæ conſolationis dulcedine perfuſum adiuuerūt, tum vt leuius dolores ſentiret, tum ad extremam de æternitate luctam animoſior paratiorque ſubeundam accederet: & ſuâ præſentia erectus ibi vinceret vbi vincenti propoſitum cœlum eſt, vbi victoris præmium corona vitæ, & fœlix immortalitas eſt. Nemo facilè numerârit omnes, qui nunc illic in feliciſſima illa viuentium patria nobili potiti triumpho beatâ immortalitate perfruuntur in vltimo illo certamine Hetęrianorum operâ victores, qua deſtituti perijſſent æternùm. Dici vix poteſt, quoties ad ægros deſertos à ſuis, omniq́ue humana ope deſtitutos, inter vtramque æternitatem quam iam oculis cernebant poſiti, cū morte de præmio, aut ſupplicio nunquā finiendo

dimicantes, & quidem inermes & propè iam desperantes velut missum à cęlo subsidium accurrerint. Annos aliquot è sæculo suo numerat Hetærius, in quibus aliquot centena millia eiusmodi felicissimę ęternitati transcripsit. Solus Ioannes Bredanus, vt de alijs sileam, nongentis oculos, non in mortem, sed meliorẽ vitam suis manibus clausit, quos priùs omni subsidio adiuuerat. Corpori deinde etiam officiosissima humanitas impẽsa est. Cui quoties licuit sanitatem pristinam opportunis remedijs Hetæriani reddiderunt: cum verò ea facultas non fuit, nihil quod ad illud adiuuandum, recreandumq; conferebat, intermiserunt. Quamuis verò neminem ab hoc charitatis officio vnquam excluserint, qui hîc Hetærianam opem implorauit, aut oblatam non reiecit; ijs tamen inprimis præsto adfuerunt, ad quorũ ægritudinem nuditas ab amicis, & rerum penuria accesserat; quales potissimum in nosodochijs solent inueniri, & in ijs vrbibus vbi sæuior mortalitas grassatur. Hic igitur ex ægris fructus sanè vberrimus maximam partem in nosocomijs collectus est. Quæ profectò Hetærianos sæpenumerò stupuerunt, cùm viderent, quemadmodum se ad pedorem squaloremq; suum dimitterent, infirmis assiderent, cum ægris quodammodo ægrotarent, verbis humanissimis dulcissimisque dolores mitigarent, lectos componerent, infirmos manibus suis attollerent, placideq; reponerent; aquam haurirent, sordes egererent, saniem ab affectis partibus linteo, aut manu, aut etiam linguâ det rgerent; stipem etiam

ostia-

oſtiatim cogerent, quâ deinde languentes refocillarent, cibos ſuâ manu pararent, paratos apponerent. Hæc ita eſſe, Noſocomia omnia clamarent, ſi loqui poſſent, vbi vnquam Hetæriani ægris ſeruierunt. Denos tamen illos Hetærianæ familiæ principes, quibus hactenus citra ruinæ periculum Hetæriana res innixa eſt, inprimis à dictis officijs eximiè laudarent: qui rem omnium pulcherrimam poſteris ſuis perſuaſuri, exemplo ſuo firmatam atque ſtabilitam voluerunt. Illis enim Hoſpitalia pro hoſpitijs fuerunt quocunque diuerterent. Vt reliquos interim ſilentio prætercam, qui egregiè maiorum veſtigiis inſtiterunt, (quod in omnibus vrbibus factum vbi domicilium Hetærius fixit, modò eius admiſſa ſit opera) Martinus Guittierez cùm Hetærianis Salmanticenſibus præeſſet, & noſocomia inſolens ægrorum multitudo impleuiſſet, ratus glorioſius eſſe ægris inſeruire, & obſequi, quàm ſanis imperare, eò conceſſit, infirmis eo affectu omnia officia Chriſtianæ charitatis exhibuit, quo vix vlla mater filio. Aquam ſuis ipſe humeris è vicino fluuio aſportabat, valetudinarium ſuâ manu euerrebat, lectos ſternebat, cibos afferebat, apponebatqne, & quicquid induſtria, & ingenioſa charitas imperabat, alacritate maximâ executus eſt. Hunc autem præter alios, laboris pulcherrimi fructus, collegit, quod 40. dierum ſpatio, omnes, etiam ij, quos peſtilentius virus inuaſerat, ſanitatem recuperarint: ſcilicet morbus ad tantam charitatem attonitus neminem interi-

mere ausus est. Is excepit Mnemon cũ ad illas delicias suas, ad valetudinarium inquam, quandoque properaret, & quę piorum liberalitas fuerat elargita ferret; in via in hos affectus prorupit.

Quos excelsa iuuant, ascendant atria Regum
Gaudia nostra lares sunt Nose care tui
Vt Martine lubens squalentis ab agmine turbæ
Cingeris? esse duci gratior aula neget.
In pectus quam fundit enim se pura voluptas,
Cum famulo functus munere, promis aquas?
Cum sternis lectos? & fers, quas cœlitus hausto
Nectare dulcis amor condijt ante dapes?
Cum mœsto affundis solatia blanda dolori?
Cum parcæ leuius tela timere iubes?
Addis in extremam cùm fortia pectora luctam?
Qua pretioso agitur sanguine parta salus?
Quas istic gemmas è sordibus eruis? auri
Quam tibi præstantes effodiuntur opes?
Littus erythræum nil his preciosius vndâ
Purpureâ, auriflua nil vehit Hermus aqua.
Hic quanto panni rubicundo pulchrius ostro
Effulgent; Christi qui pia membra tegunt?
Naribus vt dulcem sanies hic spirat odorem
Quam passim ægrorum lurida membra vomunt?
Naribus illa meis præ nardo, & Thure sabæo,
Vulnere præq; tuo, saucia myrrha placet,

Pestis

Pestis quæ metuere neminem, terrere omnes solet, Hetærianam fortitudinem suis omnibus terriculamentis maiorem sæpenumero admirata est, quoties nimirum Hetærianos gregibus ægrorum circunfusos, nihil morientium funeribus terreri aspexit. Cum stupore inprimis atra hęc diua prętere sexcentos alios vidit, inter densissima agmina lethali lue laborantium Lugduni in Gallia Edmundũ Augerium, Conimbricæ in Lusitania Hieronymum Caruallium, Viennæ in Austria, Nicolaum Lanoum totidem inuictos heroas incredibili charitate ægrotantium corpori, & animo medicinam adhibentes. Et hunc quidem extremum, eo etiam vehementius obstupuit propterea, quod attactu à sua falce inflicta vulnera persanaret. Vidit deinde eadem, & cum Braccarensi Ciuitate vniuersa obstupuit Dominicum Oliuerium cum ille lue pestifera afflatos suis vlnis amplexus est, & in humeros suos sublatos asportauit in Nosodochium; quos amici ne propius quidem accedere audebant. Vidit innumeros alios operi gloriosissimo immortuos, & non longè à Martyrum gloria distantes longè feliciores, Curtijs & Decijs, qui se perdiderũt, vt alios seruarent hi vero & alios, & seipsos honestissimè moriendo seruarunt; Quî enim pereat, cui charitas mortis sit causa? & ea quidem qua nulla alia teste cœlesti Magistro maior est. Ex Hetærianis sibi quisque Horatianum sæpiùs occinit nonnihil commutatum.

Dulce & decorum est pro miseris mori.

Ideoque eius pulchritudinis dulcedinisque amore accensi quoties sæuiente lue miserorum calamitas aliquem in sui subsidium exposcit; quoties vir quæritur, qui vitam suam bono publico deuoueat, dici vix potest quanta Hetæriani minimè maiorum suorum degener sanguis ambitione ardeant, cæteroquin honoris minimè appetentes. videre tum est præclarum, & superis iucundum eam prouinciam ambientium certamen. Cum Nocoliæ vehemens pestis virus latissimè diffunderet, & passim funera densaret, ambitiosius ac olim Romani candidati honores, Hetæriani id muneris prensarunt, quisque vrgebat sibi potissimum liceret in vrbis affectæ subsidium venire. Fuêre qui infimis precibus, imo & lachrymis Præsides suam in partem inflectere conati sunt. Cum tandem non sine cœterorum inuidia duo communi decreto publicæ saluti expositi essent, reliqui nihilominus omnes etiam ij, qui nondum integrè è morbo recreati vix pedibus poterant consistere ad sacra tribunalia se receperunt: inter quos nonnulli vacillante vestigio lapsi vix ægrè tandem, tamen eò perreptarunt, vt & sibi è gloriosa adeò messe manipulos aliquos colligerent, nec vniuersa ad duos illos perueniret. Facit & illud hic ad laudem Hetærianorum, eos hactenus non solum vocatos; promptissimè semper ad peste infectas ædes aduolasse, sed omni etiam solertia, & studio indagasse sicubi nonnulli, vt sæpè euenit, omni ope destituti alijs ignoti laterent: sæpè etiam inuitis salutarem operam obtrusisse.

fiſſe. Cùm Audomari horrenda lues ſæuiret, is qui ex Hetærij Imperio illic afflictis opem ferebat, poſt longam, diligentemq́ue indaginem tandem reperit, primo quidem Mulieres duas iam propè ad extrema deductas, quas vltima fames penè crudeliús, quàm peſtis tractârat, quę vbi Hetærianum ad ſe aduentantem aſpexêre, velut è cœlitum numero quempiam vidiſſent, lachrymis gaudium teſtatæ ſunt: Is paratis cibis, allatisq́ue pharmacis corpori; animo confeſſione expiato ſalutaribus monitis ſuccurrit, & mirificâ conſolatione plenas, tum quidem reliquit paulò poſt reuiſurus. Interim aliam domum ingreſſus totam familiam matrem cum liberis quatuor, omni humani auxilio deſtitutam inuenit. Animos omnium ſalubri medicina primo perſanat: tum præparatas à ſe dapes apponit; ex vlceribus effluens tabum deterget, amuletum malo pellendo efficax applicat. Duplici nomine coronam ab illis ciuicam meritus. Eidem & illud euenit. Mulierem tenuis fortunæ, homo militari & præferoci ingenio, cum eandem peſtis afflaſſet, ex ædibus eidem elocatis barbaro facinore exturbarat. Eam in media platea luto penè ſepultam offendit cum fortè ad alium cœleſtem & vitalem alimoniam deferret. Hāc tantiſper miſerabili ſpectaculo commotus decenti loco depoſuit, dum miſerā in domum reportaret. Hìc alter ira vehementi accēſus dicere, & facere quæ furor ſuggerebat: mortē etiā diſtricto ferro minari, ni ſubito eſſerat: at ille impiū ſcelus execratus collum & pectus inictum denudat, eum-

que

que intrepidus exſpectat. Tum verò alter ſui iam impotens furere & inſanire & diras in ſuperos ſacrilego ore euomere. Mox tamen è Leone mutatus in Agnum eſt, cum conditoris venerari præſentiam & vereri ſeueri olim Iudicis vindictam iuſſus eſt, ni ab impio facinore deſiſtat: mox in genua prouolutus nefarij ſceleris veniam precatus ſumma voluntate domum ægræ incolendam conceſſit; & rectè monentem amicè amplexus eſt. ſileo quod non vno in loco Hetæriani in ægrorum ſubſidium ſodalitia ipſi erexerint, & ab alijs erigenda, fundandaque Noſocomia curarint: quod in ijſdem præter priuata ad virtutem colloquia conciones ſtato tempore habuerint, miſſæ ſacrificia peregerint & alia id generis plura inſtituerint.

Ad eos tranſeo qui in carcerum ſqualore, & ſuppliciorum acerbitate, atque in triremibus Hetærianos ſuæ item ſalutis amantiſſimos & in ea procuranda diligentiſſimos experti ſunt. Vbi id maximè curatum cum incredibili emolumēto, vt eiuſmodi hominum genus ad rationes ſummo Iudici reddendas paratum, ad ſubeunda ſupplicia conſtans accederet. Eam in rem è carceribus non paucis aleæ, & id generis plures prauæ conſuetudines eiectæ, earundem loco inducta pietas; ſacramentorum, ſacrificiorum, concionis, piæ lectionis vſus. Alicubi flos ſanctorum Ribadineiræ palam ſuſpenſus fuit; vnde ſtato tempore anagnoſtes aliquis quippiam in audientium ſolatium recitaret. Vnde id conſecuti ſunt Hetæriani, vt homines perditiſſimæ alio-

quin

quin vitæ,& in ſcelera obdurati, ad veram & lachrymis teſtatã pœnitentiam ſæpè perducti ſint. Paucos attingam, ex quibus de infinitis alijs idem fiat iudicium. Valliſoleti homo enormiũ ſcelerum reus ſupplicium in cuſtodia exſpectabat. Vbi ad eam Hetærianus acceſſit, eo ſenſim ſermone humaniſſimæ charitatis pietatisque pleniſſimo adduxit, vt diem & noctem vniuerſam in certa pietatis officia diſtributam pijſſimè impẽderet. Iam in genua proſtratus orabat, iam ad ſemihoræ ſpatium acerrime ſe flagris cædebat, iam audiendo ſacro, iam pię lectioni vacabat: ter quauis hebdomada pane ſolo,& aquâ viuebat, & cilicino ſe ſacco induebat. Et cum ad exquiſita ſupplicia ſceleribus ſuis debita perferenda anhelaret febri correptus Iudicis ſententiam pręuenit. Molshemij reus ob horrenda ſcelera ſupplicio afficiendus ab Hetæriano adiutus Hæreſin abiurauit, & in tantum odium ſcelerum ſuorum exarſit; vt acri, & gelida hyeme nudis pedibus in pœnitentiæ ſignum iter benè longum confecerit. Antwerpiæ duo latrones inauditâ crudelitate & barbarâ plurimorum cæde infames, de quorum ſalute iam penè erat conclamatum, ab Hetęriano blanda ſermonis dulcedine ita emolliti ſunt, vt totius prioris vitæ in hæreſi & grauiſſimis flagitijs traductæ ſeriem eidem cum multis lachrymis retexuerint & digna ſceleribus ſupplicia ſtupenda conſtantiâ pertulerint. Nam cum picato induti linteo ſexies in rogum immiſſi, ſexto tandem incendio exurerentur, aliæ ab eis voces auditæ non ſunt, niſi IESVS &

MARIA. Minus stupendę eiusmodi conuersiones videri possunt, si, quæ Hetæriani adhibeant considerentur. Præterquam enim quod vna secum insignem, vt plurimum eloquentiam afferant,&animi dimissionem,qua sępè in genua prouoluti additis etiā lachrymis, cùm eas res exigit, obdurata pectora emolliunt;se ipsos Deo ardentissimis desiderijs ad ardua pro eius honore perferenda offerunt, si gratia sua cordis duritiem inflexerit. vt alios interim taceam Quintinus Charlartius vt obstinato aliquando eiusmodi homini pœnitentiæ lachrymas à Deo exoraret, perpetuum, si eas concederet, in omnem vitam ieiunium, & à carnibus abstinentiam vouit. tanti vel animæ vnius salutem Hetæriani faciunt. multa hìc dicenda superessent de ijs, qui itidem fidissimæ vlmo persimiles,alias proximi miserias subleuarũt, & copiosam ex aliena calamitate messem sibi collegerunt, sed locus &tempus omnia enarrare non sinit:aliqua tamen delibanda sunt. Tales inprimis ij fuerunt, qui pia & amoris syncerissimi plena sollicitudine aliorum inopiæ succurrerunt, cum eos aut corrogata stipe liberarunt è carcere, in quẽ æris alieni causa erant intrusi(quales anno 1594. Valentiæ in Hispania 396.& anno proximè insecuto 594.vinculis sodalium opera ab Hetærianis exempti sunt, vt alios omittam) aut domesticam & alijs ignotam penuriam emendicato subsidio solati sunt; aut virgines iam nubiles comparata dote è pudoris prostituendi periculo liberarunt. Tales item fuerunt qui villas & oppida concionabundi obierunt,

runt,&rudem populum cum vix credibili laboris fructu ad pietatem informarunt. Nam ab his talibus,cum eiusmodi hominum genus fere semper esse soleat ad culturam multo fœcundius, integræ sæpè regiones à perditissimis moribus ad castos sanctosque reformatæ sunt. Et certè has vites sæpè numero videre fuit vberrimo omnium fructu oneratas. Nicolaus Cusanus ante pauculos annos emortuus Ducatum Luxemburgensem (quem sæpè vniuersum pedibus suis obiuit) in fœcunditatem multo maximam suâ culturâ prouexit. Et eidem etiamnum pagi & oppida, si loqui possent, pro fructuosissimo sibi impenso labore gratias agerent. Tales deinde penè præ omnibus etiam ij fuerunt, qui inuictâ animi magnitudine præditi alienæ salutis ardore accensi, vt militibus in medijs periculis succurrerent,& corpore saucios, animo persanarent, & alteram saltem vitam eorum in tuto collocarēt,obuiam in Martis fulmina,in plumbearum glandium imbres,in districtos enses inuolarunt & Libitinæ in ictum vltro obiecerunt.

Deuota morti pectora liberæ.

Et vulneratos adiuuerūt,vt iam victi vincerent.Iniuriam profecto non mediocrem generosissimis his heroibus fecero,si in tātam fortissimorum facinorum copiâ, quæ hi tales cum immortali sua gloria & credibili sauciorum militum emolumento designarunt saltē non vnum aliquod recensuero.Ioan.Fernandus,qui augustâ quidem sapientiæ lauro insignis quandoq; Nocoliæ S. Literas interpretatus est rarâ

tamen vitæ ſanctitate longè celebrior, in expugnatione Traiectenſi charitatem ſauciis militibus nullo æuo intermorituram exhibuit. Illic enim ſpretâ mortis formidine inter horriſoni martis tonitrua adeò liberè prompteque vulneratorum militum confeſſiones excepit, vt ab eâ operâ nec ipſi quidem milites eum auertere potuerint. Quare tantum amorem ſui in militum animis excitauit, vt ad eum protegēdum inter hæc pietatis opera, ſe ipſos hoſtium telis obiecerint. Ceciderant in vallum vrbi ſubiectum ex propugnatoribus non pauci, ſtimulabat Fernandum pia ſollicitudo ad opem eo in articulo ſauciis afferendam. Eam in rem hoc ſtrategemate vſus eſt. Dum vrget obſidio ſub veſperum ab hæreticis ſe vulneratum ſimulat, ſimulque per aggerem deuoluit. Riſum mouit Hæreticis Catholici & Hetæriani ſacerdotis caſus. At ille aliud animo voluens, cœpit increſcētibus tenebris circa moribunda cadauera paulatim adrepere, ſimulque vitæ explorare indicia, & ad confeſſionem hortari. Nec induſtrię fructus defuit 40. militum conſcientias ea nocte expediuit, & illuceſcente die ſacræ Crucis Imaginem manu geſtans reptando ad ſuos euaſit, ſaluus quidem ab iniuria hoſtium, at non ſine damno ſanitatis. Læſerat enim valetudinem grauis odor cadauerum, ſed charitatis ardorem non extinxit. Nam pauló poſt complures in pugna quadam occiſos audiuerat, ſed acceſſum corporis languor impediebat. vt verò nec ſic quidem miſeros desereret ex ſocijs fratri (Vincētio nomen erat) perſuaſit,

ſit,vt ſe in humeros ſublatum ad ſaucios aſportaret. Fecit ille eadem vtique charitate accenſus;illudque Dauidicum impleuit: vt iumentum factus ſum apud te.Chari ponderis baiulus Fernandum per militum diuerſoria geſtauit. Fatigato ab onere ſuperuenit Comes Annibal Aſcarbs Germanorum equitum Magiſter, qui re cognita equum, quo ipſe vehebatur in pium obſequium etiam reluctanti Fernando obtulit. Idem in militum ſubleuandam famem ſtipem à potentioribus emendicabat, & iam æger ſæpè ſibi ſubtrahebat, quod noctu egentibus clàm per feneſtram ſubmittebat.

Inter illa colloquia eò iam veneramus vbi vindemiatio cœperat,propius ad ire non placuit;illorum feruori,noſtræ libertati conſulturis. Inde igitur ex edito ſenſim deflexìmus ad torcular in vineæ medio erectum: quid illic ageretur, inſpecturi. Qui torculari præerat humanitet acceptos induxit,& cum ab Eteſio didiciſſet, ad quid veniſſemus,omnia officia detulit.Erant illic omnia parata atque ad vſum opportuna: nihil non ſuo loco,aut non ad manum. Ego cum vuas nobili liquore diſtentas, viderem adeò barbarum in modum, vt mihi videbatur, tractari in orca conculcari pedibus, & conteri; inde in torcular effundi; deinde immenſo penè iniecto pondere comprimi,vehementer admiratus,miſeratus etiam illam vuarum fortunam rogo torculari præfectum, quî tandem vuæ, ſucci optimi dulciſſimique turgentes eam ſæuitiam ſint

commeritæ: ille ſubridens; ſunt inquit, ô hoſpes nonnulla quæ niſi vi adhibita cogas, fructũ, quem tenaciſſimè ſeruãt, non reddunt. Tritici enim rei nobiliſſimæ quis vſus erit niſi flagello excuſſeris è ſpicis, niſi grana molari contriueris, niſi denique igni excoxeris. ſic dolia nobili vino nunquam impleueris, niſi ita, vt vides vuas tractaris, & quod poſtulas vi extorſeris. Neque, vt tu putas, barbarè cum vuis agitur, ita illæ ipſæmet, ſi ſenſu & ratione præditæ forent, tractari expeterent; facilè enim viderent ſine prelo ſe paulo poſt ſine ſuo commodo, & cum incredibili mortalium detrimento nihilominus perituras: contrà verò ſi premi ſe patiantur, liquorem ſuum in plurimos etiã annos omni ſtudio aſſeruatũ ſexcentos in hominum vſus & voluptatem, & vtilitates allaturum. Hic ad me conuerſus Eteſius, quid inquit, eſt, Sanouiſe, quod tantopere mireris vuas cæteroquin in vſum mortalium natas ab ijſdem, vt putas, ita crudeliter tractari; quæ ſi crudelitas ſit, longè maior Hetærio veſtro aſſignanda eſt, qui iam non vuas, ſed animas premit, vt vinum, ſed angelorum vbertim effundant. cum ea dixiſſet iam ſatis attentos ad ea nos habebat, quæ erat dicturus, quia minùs erant exſpectata. Interim igitur dum alij collectas iam vuas in vaſa ad id diſpoſita infundunt, alij pedib. calcant, alij torculari muſtum exurgent, illudque alij in cadum transferunt; & his omnibus ex officio inuigilat torcularius, Eteſius iuſſit nos ibi Hetærianos illos intueri, qui ex mortalium oculis lachrymas, & animis ante contritis

nobilem

nobilem pœnitentiæ liquorem exprimerent. Quod vt plenius intelligeremus: quemadmodum inquit tota vineæ cultura huc tandem conuertitur, vt cella nobili vino redundet, quod cum libuerit in vſum aut oblectationem expromi poſſit: huc enim paſtinatio, putatio, colligatio, collectio & cætera omnia referuntur: ita quodammodo omnes eorum labores & fructus qui vel in cathedra & publica luce; vel in priuatis congreſſibus mortales ad meliora hortantur, in proximum vſum in confeſſione velut aptantur; non quod iam antea ftuctus non ſint, & nobiles quidem, (Eſt enim in acinis vinum etiam ante prelum) ſed quod eodem nondum perfrui liceat. Et certè ſi vlla in re orbis catholicus multum Hetærio debeat, in hac debet, quod ipſius opera fons hic gratiæ præſtantiſſimus adeò copiosè & fluxerit hactenus, & fluat etiãnum ad humanæ ſitis arbitrium: vnde illa, quoties libuerit, vulneribus & morbis medicinam, mœrori ſolatium, ariditati pluuiã, aduerſis robur haurire poſſit. Id teſtes omni exceptione maiores, & quidẽ oculati vbiuis gentium affirmarunt; nihil aſſerere veriti nunc plures quauis penè dominica & magnæ Virgini ſacra die ad ſalutares has vndas accedere, quàm alias anni totius etiam ſolenniſſima acceſſerint. Nunc decem, & plures ſubinde confeſſionis ſedes in templo inueniri; vbi ante vix vna reperta ſit. Vt autem Hetærius confeſſionis vſum in primis crebriorem in orbem Catholicum induceret, varia fuerunt, quæ egregium eius conatum mirificè adiuue-

adiuuerunt, præcipuum illud fuit, quod incredibili quodã zelo animarum accensus vehementissime omnium salutẽ; quam hoc medio vel maximè promotum iri videbat, desiderarit. Hic enim Ignatium impulit, vt sæuiente hyeme collo tenus algido amni immersus alterius ignes extingueret, hic Xauerium adegit, vt alterius flagitia suo in dorso etiã sanguine expiarit: Hic Alphonsum Rodriquez inflammauit, vt nõ semel se Deo obtulerit ad inferorũ supplicia, modo in diuinum amorem animam vnicam, & eam quidẽ ex omnibus vilissimam posset accẽdere. Hic idem singulos incitat, vt omnes rationes, & vias exquirant, quî homines à recta salutis semita exerrantes ex auijs, scelerũ ad virtutis, & cœli tramitẽ reducãt, vt, quidquid hic tædij, & molestiæ occurrit deuorẽt. Eodẽ deinde mire cõduxit, quod lege lata suis omnib. Hetærius sanctê mãdarit, vbi vbi possint homines ad confessionem incitent: tum quod nemini iuris dicundi copiã hic facere consueuerit, nisi quem norit rerum earum, quæ huc necessaria sunt, suppellectile instructum: insigni in primis solertia, & dexteritate præditũ, qua hispidos peccatorum animos non secus atque sciurus hirsuto cortice horrentem castaneam tam diu in omnem partem verset, reuersetque dum tandem aperiat & dignos inde pœnitentiæ fructus excerpat. Ad hæc plurimum iuuit quod tenellæ ætati, quam literis & moribus expolit, ritè obeundæ confessionis præcepta sensim instillet, eamque sæpius vt eadem in vsum reducat, ad sacra tribunalia sup-

plicem

plicem ſiſtat. Quia vero hæc ætas eorũ tenaciſſima eſt, quæ rudibus annis percepit, hinc fit vt hauſta ſemel præcepta fructuoſæ confeſſionis in omnem reliquam vitam mordicus obſeruet. tum etiam vel maximè, quòd adultiores, quos domi aſceticis exercitijs excolit, conſcientiæ indies examinandæ & ſcelerum onere ſæpius ſubleuandæ rationem in eo ſeceſſu & ſæpè etiam pro concione edoceat. Denique quod Hetæriani quibus id muneris impoſitum eſt, in eo exequendo nec diligentiam nec aſſidutiatem ſuã requiri paſſi ſint; qui pene indies in ſacris ſuis ſubſelliis exſpectarunt quos à ſceleribus abſoluerent, quibus à fructu vacua vix vlla dies receſſit. Inter hos eximiè eminuit Georgius Colibrand & Iacobus Aluarez quorum ille vſque ad ſummam ætatem ad ſtuporem ſuo illo in munere aſſiduus fuit. Dies vix erat, quâ ad ſedem confeſsionis non iret, & & rediret cum fructu; ſæpè tam vbere, vt non rarò plurimæ conciones minùs fructuoſæ exiſtant; hic vero eodem die viuere, & confitentibus aures dare deſijt: quod nempe omni fecerat; vltimo die omittere non voluit. Nihil hic dici de Hetærij confeſſarijs auguſtius poteſt, quàm quod ipſi Cœlites non rarò eoſdem ſuo teſtimonio comprobarint cùm ad eos ſubmiſêre, quos à ſceleribus expedirent. Ita ſubmiſerunt ad iam nominatum Georgium Colibrand, ad Sebaſtianum Barradium ad Gaſparem Barzęum alioſq; complures: neſcio tamen an non hoc, quod ſequitur, penè ſit ad laudem eorundem illuſtrius, quod multi fuerint qui

eadem ſubſellia ita adamarunt, vt mortem in eis ſibi eo nomine longè dulciorem lætiſſimo vultu exceperint. Nam in illis occiſi Franciſcus de Caſtro, Didacus Andrada, Georgius Fernandez, Gomezius Damarellus lauream nobiliſſimam Martyrij adepti ſunt. Imo deſiderium homines confeſſione adiuuandi ne morte quidem extingui in illis ſolet; ſed vltra eandem perdurat. Nam vt multos alios prætercam: Conſaluus de Tapia à morte ſuâ quam ſanguine ſuo inuictus Martyr purpurauit, fœminæ confeſſionem longiùs differenti apparuit; & iuſſit quamprimum obire. Et ego, excepit hic Orarchon, nuper aliquid inaudij, quod huc etiam pertinet. Fuére nonnulli qui eâdem manu, quâ animũ à noxis, etiã corpus à morbo liberarunt. Factum id Nocoliæ à Leonardo Keſſelio. Cùm is enim ad Cœnobium euocatus, ægri iam extrema vnctione ad vltimam luctam, quæ propè videbatur abeſſe, communiti confeſſionem excepiſſet, duplicem eidem ſanitatem reddidit. Tum Eteſius penè, inquit, reſtat quod primò dici oportuit; Hetærium generalis, vt vocant confeſſionis vſum aut intermiſſum, aut nunquam ſatis euulgatum in vulgus, induxiſſe, ex quo fructus hoc ſæculo collectus tam copioſus atque nobilis extitit, vt vel is ſolus ex æquo non ſolùm induſtriæ reſponderit, ſed longè eandem ſuperarit. Nam anno nonnunquam vnico aliquod centena hominum millia ab omnibus anteactæ vitæ ſordibus emundauit.

Dum

Dum ea inter nos conferimus, interim torcularius per suos vuas iam pressuræ aptas, torculari subiecerat, idque ea vi coëgerat, vt iam magno impetu vini riuus in suppositam orcam decurreret: tum igitur aliquid otij nactus ad nos rediens inhumanitatem excusat; & ad haustum amicè inuitat. Cùm verò dulcius, quàm salutarius mustum esse soleat, tantùm delibauimus. Eam autem dulcedinem percepimus, quâ non facilè alias maiorem.

Tum vna nobiscum in cellam vinariam admodum profundam & ad spatium peramplum extensam descendit præstantissimo vino redundantem. Erant illic dolia & numero plurima, & magnitudine tanta, vt asserenti Etesio nonnulla plaustra nostratia 60. 80. imo & centum continerent: gustandi copiam liberalem fecit, quâ tamen vti, nisi semel iterumue, non placuit. Cùm ex omnium maximo cado propinasset, cœlestis dulcedo inesse visa est. Iussus Litholeon de eâ animi sensum edicere, Phœbum quibus potuit votis in auxilium vocauit, & ita exorsus est.

Quidquid virgineis apes labellis
Flaui nectaris aut tuo Calydna,
Aut Hymette tuo, tuo vel Hybla
Collegêre thymo; tuoue Cyrne:
Quidquid vitiferi tulêre colles
Quos vel Rhene tuis rigas fluentis,
Fœcundásue tuis Mosella ripis,

Quidquid fertilibus tulit racemis
Surrentina, Falerna, Chia vitis:
Quidquid Lesbe tuis resedit vuis;
Quidquid Naxe tuis, tuis & Aulon:
Quidquid nectarei liquoris ex se
Pingui cortice mada fudit arbos:
Quidquid fice tuo suaue fructu:
Quidquid sacchariјs suaue cannis
Quidquid angelico suaue manna:
Quidquid dulcibus omnibus benigna
Natura indidit, huc id omne fluxit.

Roganti deinde mihi, ad quem ea vini nobilissimi copia pertineret: ad Soterium respondit torcularius ad quem itidem vinea ipsa spectet. Eum tamen vti vineam colendam, ita hæc vina Hetærio in vsus mortalium & hospitum maximè dispensanda commisisse. Quo dato responso in vrgens negotium euocatur. Suas igitur vices Etesio amico & tantum non domestico delegat. Cum Hetærij mentio iniecta esset iam facilè suo quisque animo colligebat, quo ea vina spectarent: nimirum alia non esse, ac illa quæ Virgines germinent, & ad mensam cœlestem accumbentibus in æde Hetæriana diuidi soleant.

Et hæc quidē hactenus, inquit, Etesius, de fructibus ab Hetærio in proximū orthodoxum deriuatis, breuiter perstrinximus: vnde si non plenā aliquam saltē notitiā haurire licuit.

licuit. Cùm deinde principem, eorum causam nobis cuperemus ostendi hanc è Poëta quopiam Mnemon subiecit.

Duxerat Ambrosiæ cœlestis Hetærius haustum;
Qui simul ac medios sese diuisus in artus
Infudit, tantos paulatim pectus in ignes
Exarsit, quantos nec ructat hiantibus olim
Faucibus ætna suis, vastúmue patente vesenus
Ore vomit: neque iam poterant hæc pectoris abdi
Amplius angustis incendia tanta medullis;
Eluctante foras ruptis penetralibus æstu.
Sed neque materies flammis ingentibus vnus
Par fuit ipse suis, queîs acriter intima diuus
Ossa cremabat amor, totumq́; ignescere mundum
A sese ardebat: totas in pectoris aulam
Ergo vocat vires, coramq́; frequente senatu
Consilium captat quo vota ingentia tandem
Expediat meliore via: pars consulit alas
Sumere, queis sese celsum super æthera vibret
Penniger Regina gregis, sic scilicet horis
Non multis celeri peragrari posse volatu
Vltima terrarum, missoq́; è nubibus igni
Accendi paßim; dum totus inæstuet orbis.
Ignibus ardentem pars consulit altera currum,
Qui vel Thesbiten Eoos vexit in hortos,
Nunc vbi traducit par immortalibus æuum:
Immensum vel qui porrecta per æquora campi

 Stelli-

Stelliferi aſtrorum vectat Titana Monarcham.
Hic placuit. Celſas igitur ſubuectus in auras
(Alas fecit amor) rutilantis in atria Phœbi
Euolat & lucis patiens ſolaris, & æſtus.
Ad iubar vt Titan oculos nil cernit HetærI
Conniuêre ſuos, ſua ſed radiantia vultu
Immoto, & fixis obtutibus ora tueri,
Attonito ſimilis, licet ardua vota benignis
Auribus excepit, currumq́; aſcendere iuſsit.
Hoc vbi conſedit, (forſan vicinior oris
Heſperijs tùm Phœbus erat) cœpêre caballi
Cœliuagi æthereos rapido decurrere paſſu
Per campos: volucriſq́; neget Iouis armiger alâ,
Præpetibuſq́; neget Boreas præuertere pennis.
E vultu totus Titanis Hetærius hæret:
Quod facit illè, facit: Roſeo ſol aurea vultu
Lumina, flammiferos diffundit Hetærius ignes
Pectore, quò radios ſol iecit, Hetærius illuc
Eiecit flammas, Phœbi quodcunque coruſco
Ore refulget; idem flammis igneſcit HetærI.
Iam procul expulſa glacies è pectore brumâ
Æſtuat Europe; iam concipit India flammas;
Iam tellus Aſiæ, iam flagrat America; Totus
Iam latè mundus plenis bibit oſsibus ignem.
Qui ſenſim gradiens in tanta incendia creuit,
Dum mundus mera flamma foret: quod Hetærius alto

Æthere

Æthere despectans, nunc inquit, maximè regni
Astriferi rector, votorum summa tenemus.
Munere, Phœbe, tuo. Telluris in intima pallens
Antra refugit hyems: nostris flagrat ignibus orbis.
Dixerat, extemplo mortali restitit ora.
Phœbœâ rutilos collucens lampade vultus.

Secundum hęc è cellâ egressi actis perhumaniter torculario gratijs pro exhibita beneuolentiâ, vineâ excessimus.

NOVEMBER

CONVERSIONEM HÆRETICOrum, & Ethnicorum complexus.

IN ipso vlterioris itineris aditu præmonet Etesius; ex ijs, quę paulò post visuri essemus puriorē in animos nostros, ac è prioribus, voluptatem redundaturam; vt quæ magis ex ingenio nostro futura sit. Nec enim ignoro, inquit, indolem generosam, quali vos præditi estis, solere mirificè venatione delectari. Eò autem nunc duco, vbi venationem non iniucundam spectabitis, siue eam iucunditatem è ferarum multitudine, ac nobilitate, siue ex venatorum arte & ingenio, siue capiendi feras varia industria, siue quacumque alia è re metiri placeat. Ad venationis nomen omnium animi exsilierunt, & non minus perspicuè hinc indolem nostram cognouit Etesius, quàm olim ex armis Achillem in Gynęceo latitantem agnouerit Vlysses.

Facilè

Facilè enim natura se prodit rerum earum sensu quibus ducitur; & quibus quisque innutritus,& exercitatus est,ijs maximè gaudet. Calcar autem, vt aiunt, currentibus additurus Etesius; & acriùs animos nostros in venationis studium,cuius amore iam ante flagrabant,incitaturus; res inquit eiusmodi est venatio, quam ne summa quidem in terris Maiestas se indignam putat.Nam sępè numero summus quisque posita purpurâ viridem,& syluis concolorem amictum induit,& sceptri, pedíve loco cornu assumit, & è curis,& aulæ licet amplissimæ angustijs in nemorum, saltuúmque amœnissima latissimaq; spatia concedit, illic libentius cornu, quam in palatio tubam auditurus, & auidiùs capiendis quam coctis feris fruiturus. Ipsos imo Heroas, quos Semideos venerata est antiquitas, venationi operam dedisse luculentus testis est Xenophon, qui eosdem à Chirone,Iouis, vt ille inquit, fratre venandi præcepta didicisse affirmat; vbi & eiusdem sub ea disciplina discipulos enumerat hos sequentes.Nestorem,Amphiaraum, Peleum, Telamonem,Meleagrũ,Theseũ,Vlyssem Castorẽ,Pollucẽ, Æneam,Achillem. Eius autem institutionis & causam adiecit, nimirum indolem ad magna natam his studijs ad res gerendas strenuam euadere,seu doceri vt verbis eiusdem vtar, καλῶς νοεῖν, καὶ λέγειν, καὶ πράττειν. Quin & ipsos adeò Deos priscorum venatores fuisse, hinc manifestum est, inquit idem,quod nonnulli à feris occidendis nomina sortiti sint. Apollo enim λυκοκτόνος, & Diana ἐλαφηβόλος dicta est. Deos imitari glorio-

gloriosum ratus ille magnus Persarum Rex Cyrus, præterquam quod admodum etiamnum adolescens è pædagogi manibus eluctatus in syluas sæpius aufugerit, & iam ceruum, iam aprum suâ manu confecerit, postea iam numerosissimi exercitus Imperator, prælio instanti prolusurus, ante copias suas in syluam, quam in aciem duxit: vt illic, quales hîc futuri essent, specimen ederent. Tum versus ad nos, de voluptate incredibili, inquit, quæ ex venatione capitur, vos sæpius eandem expertos audire, quam docere malim: & ea quidem ego inquiebam Etesi, tanta est, vt, postquam illius dulcedo pectus demulsit, non cæterarum modo voluptatum, sed nocturnæ adeo quietis, & ciborum obliuionem inducat, & cuiusuis etiam molestiæ hic deuorandæ tædium vincat. Testimonium omni exceptione maius

Romanæ fidicen lyræ

Horatius pro me iam olim dixit dum cecinit.

— manet sub Joue frigido
Venator teneræ coniugis immemor;
Seu visa est catulis cerua fidelibus;
Seu rupit teretes Marsus aper Plagas.

Quin imo, excipit Litholeon, disertissimus Romuli nepotum Tullius noster longè hîc nobis grauior testis est. *Pernoctant*, ait, *venatores in niue: in montibus vri se patiuntur.* &: *apud quos autem venandi, aut equitandi laus viget, qui hanc petessunt nullum fugiunt laborem.* Et profe-

ctò inquit, Orarchon nisi mirifica quædam delectatio ex venatione oriretur, nunquam Romani Imperatores popularem auram aucupaturi, in circenses, & theatrales venationes tot sumptus profudissent: quas Cicerone item nostro authore Pompeius Magnus in plures dies magnificentissimo apparatu extraxit. In quibus, vt Vopiscus in Probi venatione amplissimâ testatur, arbores validæ per milites radicitus vulsæ connexis longè, lateque trabibus affigi solebant, terra deinde superinijci, vt totus circus ad syluæ speciem consitus gratiam noui viroris obtineret. Voluptas Mnemon adiecit, é venatione oriri solita ita Mitridatis olim animum ceperat, vt ne eâ vnquam careret, nec vrbis, nec ruris tecto septem annorum spatio sit vsus. Mirè Etesius illo ingenij nostri specimine recreatus est, cum præter affectum singularem, etiam aliquam venationis notitiam in nobis animaduertit. Nos igitur incitaturus, vt simili ratione, siquid de eiusdem vtilitate legissemus, in medium adduceremus; non inquit, præclari adolescentes, minor è venatione vtilitas, quam voluptas existit. Nam diuinus ille Plato in Theæteto asserit; venatu & corporis robur, & animi vigorem augeri. Addit Plinius optimos é syluis, & venatione milites educi cum ait: *Olim hæc experientia iuuentutis, hæc voluptas erat, his artibus futuri duces imbuebantur. Certare cum fugacibus feris cursu, cum audacibus robore, cum callidis astu. Nec mediocre pacis decus habebatur submota campis eruptio ferarum, & quadam obsidione*

ſidione liberatus agreſtium labor. Hîc ego; cum nuper, inquiebam, is qui ſtudia mea dirigit, ad otij fugam nos acriter inſtigaret, quædam addidit, quæ non malè huc referri poſſint. Aiebat autem inter cætera non facilè à Venere ſolere impugnari, qui otium fugeret. Ideo enim & Venerem aliquando reſpondiſſe, cum rogaretur cur Dianam lædere non poſſet, eam perpetuò feris capiendis diſtentam à ſe nunquam otioſam poſſe occupari. Affirmaturus quæ dicebam Litholeon apertum ex Ouidio teſtimonium attulit: Quod erat eiuſmodi.

— venandi ſtudium cole: ſæpe receßit
Turpiter à Phœbi victa ſorore venus.
Nunc leporem pronum catulo ſectare ſagaci,
Nunc in frondoſis retia tende iugis;
Aut pauidos terre variâ formidine ceruos
Aut cadat aduersâ cuſpide foßus aper.
Cum ſemel hæc animum cœpit mulcere voluptas,
Debilibus pennis irritus exit amor.

Hinc credo eſt, ſubdit Orarchon, cur Hieromymus Vida non ignobilis Poëta iuuentuti ſtudijs occupatæ inter alias honeſtas animi oblectationes, & hanc venationis indulgeat. Idipſum enim his verſibus, qui etiamnum memoriæ, quæ eorum tenacior eſt quæ ad nos pertinent, ex nuperâ lectione inhærent, diſertè affirmat.

Nec ludos puero abnuimus, ſubducere mentem
Interdum ſtudijs liceat; defeßus amæna

Rura petat, sæpe et mores obseruet agrestum,
Et venator agat de vertice Tyburtino
Veloces capreas, aut tendat retia ceruis.

Dum ijs sermonibus viæ molestias lenimus, iam ad pedem montis veneramus, cui sylua ab vnâ parte imminebat. Mons non erat admodum arduus, quem vbi superauissemus, essemusque iam syluæ vicini, eò à Therate, quẽ toti venationi præesse asserebat Etesius, submissi nonnulli syluam indagine cingebant. Retia illi suis varis extensa, & Epidromidibus innixa passim tendebant, in quæ feræ ex syluâ profugæ à persequentibus impellerentur. Datâ, acceptaque perhumaniter salute vel ab occupatissimis, & operi suo perquam intentis rogauimus; vbi Therates esset; in syluæ inquiunt, medio, vbi ea in spatium peramplum arboribus vacuum latè excurrit. Eò enim maior ferarum copia impelletur, vt capi facilius possit: magis enim illic patebit in vulnus. Secundum hæc syluam ingredimur, quam aiebat, Etesius nobilium belluarum feracissimam esse. Nam, inquiebat, quid quid est vspiam ferarum, etiam in vastissimis Indiarum syluis, hîc inuenitur. Quamuis autem ferocissimæ sint, facile tamen à Therate mansuefiunt. nam nulla est bellua quæ non alicuius mansuetudinis sit capax, modo ingenium, & indolem, & quibus potissimum rebus capiatur, nôris. Nam

Obsequium Tigresqúe domat, tumidosqúe Leones.

Et tamen hi reliquis feritate non cedunt. Ac de Leonibus qui-

bus quidem excepit, Orarchon, è gestis Diuorum manifestum est. Nam vt alios omittam Leonem tam mansuetum Diuus Sabba, tamque humani Imperij patientem habuit, vt pene ratione præditus videretur. Nam de Androdi Leone apud Gellium nihil est opus addere, cum omnibus sit notissimum. Nec minus de Tigride, subiecit mnemon, perspicuum est. Nam Petro de Anasco Hetæriano in Peru Tigrides sæpe abblandiri visæ sunt. Optimum adiecit Etesius testimonium in ipso Therate habemus qui plurimas hic belluas cepit, quas deinde in domesticum viuarium translatas adeò mansuefecit, vt ad hominis arbitrium omnia promptissimè agerent. In illis autem capiendis Therates vsurpat, quid quid hactenus à venatoribus artis adhibitum est: potissimum tamen ingenio, & solertiâ capit. nam diligentissimè ferarum indolem explorat, quâ re ea potissimum ducatur; eam deinde vsurpat: ita pleraſque cantu in retia pellicit, & ferè reliquis ferociores: nescio enim quo pacto etiam in ipsis feris semper sit *vis blanda potentior.* Sensim appropinquabamus ad iam dictam planitiem. Non procul ab eâ collis eminebat, in quo vbi constitimus tota sub aspectu fuit. Ibi tamen subsistere non placuit, sed venationis vniuersæ apparatum voluimus propius intueri. Accedimus igitur studia cuiusque inspecturi. Circa eam planitiem alij retia iam extensa, quo cautius fallerent, frondibus obuelabant: vtrimque ad latus clusor statarius considebat. In vicino frondosa tuguriola aliquot erexerant, in-

quibus inuiſi á feris deliteſcerent; vt, ſimulatque fera aliqua in retia irrupiſſet, adeſſent quamprimum, & transfigerent. Ab vno latere funem prælongum ijdem extenderant; & ex eodẽ diuerſo colore tænias, variarum itidem auium pennas ſuſpenderant, eo conſilio vt monebat Mnemon ex oppiano, vt, vbi deinde vrſus, aut ſimilis aliqua bellua in conſpectu fuerit; ſummâ vi dictum funem retiũ cuſtos concuteret: quâ agitatione, & tubæ ſimul clamore, ac perſequentium vocibus vehementer territa ea, in caſſes impelli nullo negotio ſoleat. Alij altùm terram egeſſerant in luporum imprimis inſidias, quas vt eò facilius ſcrobes occulerent, ramuſculis obtegebant. Alij canes venaticos loris ad balthea alligatos cohibebant; alij venabulo, alij æneâ fiſtulâ, cultro alij duntaxat, alij tubâ, alij citharâ & id generis alijs inſtrumẽtis ſtabant armati. Fuêre etiam qui à capite vſque ad calcem armis rigebant. Locum etiam ſinguli ſibi peculiarem delegerant. Hic in arbore, ille pone arboris truncum, alius inter frondes ex inſidijs prædam expectabant. Omnes pileum villoſum, & veſtem viridem gerebant, præter paucos quorum alij leonis, alij vrſi, alij alterius belluæ exuuias portabant. Therates equo inſidebat, cui etiam viridẽ tapetem ſubſtrauerat; reliquis, habitu cætera ſimilis. Quæ cum obiter ante vidiſſemus, locum quærebamus in vicino, vbi liceret commodè ſubſiſtere, & quæ gererentur, in eâ maximè planitie intueri. Opportuna ad id arbor ſe obtulit. Erat ea eiuſmodi, vt ſcandi facile poſſet,

& ſedes

& sedes singulis non incommodas præberet. Latè enim ramos plurimos,& prægrandes diffuderat; & quia folia nondum frigus decusserat, quoquo etiam modo nos aliorum conspectui subducebat. Hic liberrimus in id æquor oculis despectus fuit. Vix consederamus; cum Therates venationi daturus initium in medium illum campum, quem vndique sylua ferè in amphitheatri speciem circumdederat, equo inuectus, cornu inflat.

Et mora nulla velut cecidißet claßica, paßim
Cornua per totum personuêre nemus.
Horrificoque canum latratu sylua resultat,
Totaque confusô murmuere quaßa tremit.
Excitæ clamore feræ, fugêre latebris,
Inque fugâ vitæ spem posuêre suæ.

Dum autem latiùs oculis in planitiem obiectam excurrimus, ecce tibi agitatus à canibus aper celerrimo cursu in id spatium effunditur, illi calydonio quem Meleager confecit, non multum absimilis. Nam.

—Igne micant oculi riget horrida ceruix
Et setæ densis similes hastilibus horrent.
Torrida cum rauco latos stridore per artus
Spuma fluit—
Flumen ab ore venit frondes afflatibus ardent.
Fertur vt excußis elisus nubibus ignis.

Eum Therates equo suo insecutus, in medio campo occupat. Obuertit ille sese, & defensionem parat, non inultus moritu-

morituruS. Dumque acriùs instat Therates, venabulum quod dentibus ille præmorsurus, dum fauces deducit,dextero ictu Therates in vulnus lethale intorquet, & transfixum extendit in gramine. Qui palpitans ignem pene iam mortuus adhuc oculis spirabat, & mortem iam sub dentibus hærentem adhuc conabatur elidere. Mirificè nos id spectaculum recreauit. Ego in Therate meleagrum,in hoc apro illum calydonium visus intueri, in luce iam videbam reipsâ,quod ante paucos dies in vmbra cubiculi viderã,dũ in Ouidio illam Meleagri cum apro pugnam perlegerem: quem animi mei sensum, cum reliquis explicarem,ego vero excepit Litholeon, mihi visus sum Herculis cum Sue Erymanthide certamen spectasse,quam in Claudiano non ita pridem in laudibus Herculis legeram, & quia in rem meam erat,totidem verbis exscripseram. Vix aprum expedierat, cum eodem se leo intulit.

Sed cuius tremerent ipsi quoque iura leones:
Cui deadema daret marmore picta Nomas.
O quantum per colla decus,quem sparsit honorem
aurea lunatæ cum stetit vnda iubæ?

In eundem equo inuectus Therates, licet diu generosè luctantem, ne morte indecora, & belluarum regem dedecẽte occumberet, incasses impulsum interemit. Ego generosissimæ belluæ fato sanè ingemuissem nisi tali manu cecidisset. Cætero quin viuum capi maluissem, & siquidem verum sit,quod Ælianus scribit.Leones facile curari: adeò quidem,

quidem, vt habena ductari possint, & ad venandos hinnulos, ceruos, apros, loco canum agantur; mirificè Theratæ eam in rem deinceps seruire potuisset. Sed excepit Etesius ad id certa ætas requiritur, quam hic iam transgressus est. Nec desunt Theratæ eiusmodi etiam Leones. Complures enim suo in viuario habet quos eam in rem educat. Deinde duo cerui arduo vertice incredibili pernicitate casses transiliunt, sed à canibus in illud spatium repulsi alter à Therate venabulo collocatus est, alter rursus elapsus, æneâ fistulâ traiectus occubuit. Quos cum videret Orarchon, profecto inquit non admodum ijs dissimiles sunt, quos Virgilius ab Æneâ occisos memorat; dum is naui egressus in Africâ cum suo Achate adiacentia loca perlustrat. Iucundius fuit in vulpe spectaculum. Illa iam recta iam in obliquum currebat, cum à canibus se sentiret vrgeri. Quorum insequentium ictus sæpe fefellit. Sed tandem a visendæ magnitudinis vertago intercepta est: quæ dum pro mortua iacet, canibus interim leporem insectantibus fortè è sylua excurrentem; vbi animaduertit se solam, exsurgit in pedes, & celerrimè repetit syluam, illic magis propitiam salutem inuentura, sed secus euenit. Retibus enim implicita paulò certiori ictu percussa est, ne fraudi repetendæ iterum locus foret: Lepus autem tamdiu facilè pedum beneficio canum rabiem elusit, dum tandem ex alto in imum decurrens fallente vestigio lapsus canibus in prædam cecidit. Paulò plus negotij cum vro fuit. Qui cum

Oo syluam

ſyluam à canibus impulſus repetit; non nemo pone arborem conſidẽs, quæ à noſtra prope diſtabat, eandem ictu in frontem impacto interemit. Nulla è feris omnibus nobis ferocior & viſu atrocior viſa eſt, quam quædam indica, Su appellant. Illa catulos nondum in fugam, ſatis veloces in tergum coniecerat, & cauda oblonga texerat, itaque velociſſimè fugiebat. Et cum retia trãſilijſſet in ſcrobis inſidias, ac in mortem incidit. Mox enim affuêre qui facta catulis vitæ gratia matrem interemerunt. Cætera non ita commodè videri à nobis potuerunt quæ præſertim in ſylua geſta ſunt. Ea igitur è propinquo viſuri ex arbore deſcendimus, & verſus eandem planitiem pergimus. Cum iam ſilua eſſemus egreſſuri pleno in nos impetu vrſus irruit.

Obſtupui ſteteruntque comæ, vox faucibus hæſit;

Orarchon, item & Litholeon pene in mortuos ſteterunt; cum ecce quidam toto corpore armatus è ſylua progreditur, & vrſo occurrit: in quem vrſus inſurgens prioribus pedibus arctiſſimè complectitur, ſpiritum ſi poſſit expreſſurus. Interim ille cultrum per pectus in cor adigit, & truculentam belluam arte potius quam robore exanimat. Creſcentienſis excepit Mnemon, apud Geſnerum eam vrſi capiendi rationẽ tradit: aliter eum Noruegi capiunt. Norunt ij hanc belluam pomis, alijſque arborum fructibus delectari ergo arborem pomiferam, in quam vrſum aſcendere ſolere obſeruarunt pene totam ſuperiùs ſuccidunt, ita tamen vt ad huc cohæreat: palos deinde acutos circa arbo-

rem in terram defigunt, in quos vrſus ex ſublimi vna cum accisæ arboris parte incidit, & capiendum ſe offert. Acceſſimus deinde retia, ac ſcrobes, & omnis generis, nobiliſſimas feras leones, lynces, lupos, tygrides, hinnulos, capreas, & plures alias captas vidimus. Inde in interiorem ſyluam regreſſi multo iucundiſſimam rem vidimus, è qua longè vberior, & purior ac è prioribus in animos noſtros infuſa eſt voluptas. Sedebat hic virgo ſub arbore vultu verecundo, & niueo amictu, ea pulchritudine, & oris maieſtate, vt è diuis aliquam crederem. erat aliquid in eâ quâ vis humana ſpecie auguſtius: in eius ſe gremium rhinoceros, effera alioquin & atrox bellua inſinuarat. Nobis vehementer obſtupeſcentibus Mnemon reſpondit ita ſolere eam capi. Eſſe quidem eandem ferocem, & ingentis iræ, ac fortitudinis de qua Bilbilitanus proinde vates cecinerit.

O quam terribiles exarſit pronus in iras?
Quantus erat cornu cui pila taurus erat?

Eandem nihilominùs virginei pudoris, & grati odoris ex ea aſpirantis per amantẽ eſſe, vt de qua aliquis dicat *odoris amans rhinoceros* eodem manſueſcere, & capi. Tanti vel apud belluas eſſe caſtitatem. Huius rei teſtem grauiſſimum eſſe magnum illum Gregorium ſummum orbis caput. Virgo enim, is inquit, ei puella proponitur, quæ venienti ſinum aperit, in quo ille omni ferocitate poſtpoſitâ caput ponit, ſicque ab ijs à quibus capi quæritur repente velut in-

ermis inuenitur. Confestim ad fuêre Theratæ famuli qui Rhinocerotem iam in virgineo gremio edomitum abduxerunt, Res mira effera & atrox bellua agno iam mitior nullo negocio duci se finit. Nos paulò vlterius progressi pene aliquid mirabilius vidimus. Ibi adolescens residebat, vultu aliquid supra mortales spirante. Ipsas insidere charites crederes, adeo elegans & humanus erat. Cæsaries paulo dilutius aurum referens leniter in auras diffluebat: quam in summâ parte viridis pileus operiebat. Frons erat serena; pellucidi & viuaces oculi, faciles in intuētiū oculos ac animos influere. Tunica ad talos dimissa hinc inde aureis stellis illusa, de cætero viridis erat; læuâ ex ebore citharam, dexterâ plectrum gessit; quâ ludebat. Feræ cantus dulcedine delinitæ maximo numero affluxerant, quibus ipse cithara sua belluinam ferociam excantarat. Eæ enim mansuetæ, & agnis simillimæ ad pedes eius procubuerant, & vltrò in vincula colla, & pedes offerebant, quarum iam plurimas omnis generis deuinxerat, & fecerat humani imperij patientes. Nos vltra modum admirati & attonitis similes vix fide oculis habita propius adire horruimus; non satis id securum rati, nam aiebat Litholeon facile ad ingenium feras redire, licet mansuetas, Nam id mansuetarium apud Martialem in Leone expertum. Nam

Læserat inquit, *ingrato leo perfidus ore magistrum*
Ausus tam notas contemerare manus.

Et Poëtarum Deum Homerum in eandem sententiam

locutum

locutum dum ait. *Infida cum feris amicitia.*

Sed monuit Etesius periculi securos esse; feras quidem sudinde, vt Seneca asserat non exuere, sed tantum submittere feritatem: ex earum tamen numero has non esse; posse nos sine fraude accedere; attrectare etiam si lubuerit. Quæcunque enim belluæ, inquit huius citharœdi cantum audierint, eundem in villas & oppida subsequi solent, & velut humanæ vocis intelligentes neminem lædere amplius. Rogatus deinde causam, qua belluas ad se vocaret adeoque mansuefaceret. Ita respondit.

Quid castus non possit Amor? cum mellea linguam
Gens tenet, et molli pectore Suada sedet?
Quid blandus non possit Amor? cum nectare dulci
Suauius eloquij flumen ab ore salit?
Emollit cautes, iratas mitigat Vndas,
Sistit currentes, egelidasque liquat.
Marmora dissoluit, syluas mansuefacit, ignes
Congelat, et sensus inscia ligna trahit.
Tanta sacro vis est si sit facundus, amori.
Dulci cuncta potest ore disertus Amor.

Cum hæc audirem, videremque animo occurrebat id quod apud Varronem legeram Q. Hortensium Tullianæ Eloquentiæ acerrimum æmulum in agro laurentino syluam habuisse, supra L. iugera maceria septam quam ipse Teritrophium appellabat: & quod in rem hanc nostram facit, in eodem locum fuisse præcelsum, & in eo triclinium

in quo cum ipse cum hospitibus cœnaret, eius imperio solitum venire adolescentem stolâ indutum, cum cithara, ac buccina: qui cum hanc inflasset, & illâ deinde canere cœpisset, tantam ceruorum, aprorum, & reliquarum quadrupedum copiam solitam circumfluere, vt non minùs formosum videretur spectaculum quam Romæ in venatione circensi ædilium. Sed cum nihilominus adhuc permirum nobis videretur, adeo cantu delectari belluas, & inter cæteras quidem ferociores; mira, & occulta inquit Mnemon, Musicis numeris vis inest, quam expressura fabulosa antiquitas, Orphea syluas, & feras traxisse, Amphiona lapides mouisse, Ariona delphinas in obsequium mulsisse cantu finxit. & certè ita pene omnia sensu prædita naturâ comparata sunt, vt musico concentu capiantur, quem proinde ne ab orbibus quidẽ cœlestibus Pythagoras exclusum voluerit. Deinde nescio quo pacto plus virium semper obtineat lenitas, quam violentia apud eos qui sensu mouentur. Est enim semper *vis blanda potentior.* Inter cæteras autem belluas quæ concentu maximè ducuntur inprimis, quod mireris.

— *Horridus feroxque*

Aper est. Is enim, si Æliano credimus cantu capitur *Tyrrhenorum is inquit, sermone peruulgatũ est, apros & ceruos apud eosdem multo maximè musicæ adiumento capi. Nam retibus circumiectis vnus aliquis tibiâ canit, & cum impotenti voluptate aures tenẽtur nullo negocio comprehenduntur can-*

tur cantuſque ſuauitate permulſi, & deliniti, in eorum quæ procreauerint, & domeſticarum ſedium obliuionem veniunt. Sic igitur tyrrhenæ belluæ paulatim tanquam ſuadæ illecebrâ ducuntur & quaſi cantu perſtrictæ in laqueos ſe inſerunt. Deinde Muſicæ amantiſſimus elephas eſt, qua item eundem capi Bartholomæus anglicus luculentus auctor eſt. Is enim æthiopas ita elephantes venari affirmat. Binæ virgines deſerta adeunt, quarum altera alueolum, altera gladium portat; tum ſuauiſſimè canere incipiunt. auditâ voce earum elephas accedit, & paulatim cantus dulcedine delinitus obdormit. Sopito altera guttur, aut latus gladio perforat; ſanguinem effluentem altera alueolo excipit in purpuræ vſum. Et alias feras cantu permulceri hic oculis ſatis clarum eſt, vt vlterius probare neceſſe non ſit. Tum affuêre Theratæ famuli qui belluis omnibus vincula iniecerunt & præeunte nouo illo Orpheo, & cithara ludente, in domeſticum viuarium abduxêre, & heri nomine nobis humaniſſimè in eam noctem hoſpitium obtulêre. Quæ nobis humanitas, eo gratior, & etiam commodior accidit quia nox paulatim ingruebat; venturos igitur nos polliciti, eos interim cum præda præmiſimus: eſſe enim aiebat Eteſius, quod in via inter nos conferremus; tum ad nos conuerſus: venationi, inquit *magna, & illuſtria Tricoronati gymnaſij lumina*, interfuiſtis, & quidem quantum animaduertere licuit, non ſine voluptate; Reſtat nunc vt quod oculis vidiſtis, animo etiam, videatis; & id ſpectaculum non

lum non minus, opinor gaudij, quam illud afferet. Repræſentat autem ea venatio hæreticorum, & gentilium conuerſionem: qui ſanè fructus in Hetæriano Autumno longè vberrimus, et præſtantiſſimus eſt Cur autem ad eum demonſtrandum venatio potiſſimum placuerit, cauſa in primis fuit, *Claudij Aquauiuæ*, qui Hetærianam familiam per annos plurimos ſingulari planè prudentiâ rexit, & optimis legibus, & ſanctionibus egregriè conſtituit; auctoritas. Is enim ſuos in Epiſtola ad eos tranſmiſſa ad id diuino teſtimonio impulſus, venatores vocauit, & vt eſſent quod audirent, acriter hortatus eſt: Deinde etiam quia nihil eo præſertim tempore huic propoſito poterat aptius inueniri. Nam in primis venationis præſtantia, voluptas, & vtilitas paucis ſuperiùs libata conuerſionis animarum dignitatem, iucunditatem, & incredibilem fructum ſpectandum egregie exhibent. Deinde belluæ Hæreticorum, & gentilium; ſilueſtris autem venator de cætero eximius, ſacri, & Hetæriani venatoris, genuinum eſt ſymbolum: vti illa ipſa varia feras capiendi ratio induſtriam multiplicem ab Hetærianis adhiberi ſolitam in animarum ad Deum reductione non incommodè repræſentat. Quod ad primum illud de pręſtãtiâ venationis attinet, ea profectò in ſpirituali venatione tanta eſt, vt maior eſſe non poſſit. Vti enim humano animo illâ auræ diuinæ particula, illa pulcherrima ad diuinam ſimilitudinem cæleſti penicillo efformata imagine nihil eſt vſpiam excellentius, ita nec quicquam eiuſdem ſa-

dē ſalute, et ſuo cū prototypo cōformitate poteſt eſſe diuinius. Quod vt nullo negotio poſſit, latius deducere non eſt huius loci, & tēporis, Vnū id dico è magno Dionyſio operum omnium id diuiniſsimū eſſe ſaluti conſulere quod adeo ne diuina quidem Maieſtas incarnata ſe indignū iudicauit, Quantum vero liquidiſſimæ voluptatis in ea venatione animarū percipi ſoleat, nôrunt experti, inexperti vix credant, Ex illis non nemo cum diuinæ dulcedinis abundantiam pectoris anguſtijs capere non poſſet, identidem omni cœteroquin humano ſolatio deſtitutus in barbarâ, & horridâ regione exclamabat. Satis eſt Domine. eandem hactenus quidquid ab immenſis laboribus, quidquid ab infinitis terra, marique periculis, quidquid ab inclementiſſimi aëris, et incultæ regionis iniurijs, quidquid ab hominibus, feriſque durum, aſperum, acerbum, tolerandum fuit, vt fuit plurimum; ita ſuâ ſuauitate & velut cæleſti melle condiuit, vt id omne vſque ad fundum læto, & hilari vultu exhauſerint, qui infra nos in vtraque India & in orbe hoc noſtro Europæo in animabus ad Deum reducēdis occupati fuerunt. Vtilitas denique quæ ex animarum ſalute redundat, à nemine pro dignitate poteſt æſtimari. Vt enim alia omittam, quæ innumera hic dici poſſent, illa impedit, ne fuſi à dulciſſimo Seruatore ſanguinis pretium pereat, ſed nobili in vaſe quo par eſt honore, & reuerentia aſſeruetur; Illa innumeras feras in perniciem, & peſtem hominum natas, aut perimit aut ademptis armis nocendi edomat.

Nonnulli è diuis de paucis orbis partibus ante hac magnificè meriti esse non iniuria crediti sunt, qui vnam aliquam pestilentem mortalibus belluam, aut viuere aut nocere vetuerunt: quanta igitur sunt Hetærij in orbem Christianum vniuersum merita, quia tot, tamque immanes, ac truculentas bestias sibi, et plurimis alijs mortalium certum exitium allaturas aut vita, aut ferocia exuit? Si licet sacris profana adiungere, subijcit Litholeon, Hercules eam nominis sui famam nullo æuo intermorituram maximam partē hinc consecutus est, quòd feras immanes publico bono noxias inuicta animi fortitudine sustulerit. Iam verò perrexit Etesius, perniciosis & efferis eiusmodi belluis rectè hæreticos inprimis assimulari è diuino cælestis Magistri oraculo certum est, eosdem lupos rapaces in ouinâ pelle appellantis. Quod si autem lupi sunt, quidni & Lynces, Pantheræ, Leopardi, Tigrides, Leones, Vrsi? cuius etenim feræ etiam immanissimæ truculentiam non æquant, imo non superāt? feris natura vngues duntaxat, & dentes dedit, quibus sæuiant; illi dentibus mordent, vnguibus lacerant, halitu inficiunt, linguâ & oculis necant. Quidquid in vniuersis belluis ferum, noxium, virulentum, pestilens, sæuum diuisum est, id in illis totum, & collectum est. Talis aliquis dente aper est, vnguibus vrsus est, oculis basiliscus est, feritate, truculentiâ, sæuitiâ tigris est, & quidquid vspiam syluа nutrijt tigride sæuius. Quanto verò iam Hæreticis meliores pagani? annon ex æquo & hi cum belluis suâ immanitate decertant?

tant? Quid in belluis est, quod huic belluino hominum generi commune non sit? Habitatio, victus, forma, & mores, ijs cum belluis ijdem sunt. Nam in speleis, & antris habitant vt feræ; carne humanâ vescuntur, vt feræ; vultu homines, cætera capræ aut lupi sunt, vt biformes satyri, aut immanes lycanthropi, & si quid illis informius, aut monstrosius lustra vnquam viderunt: Deinde vt spectant animalia cætera terram, sic illi immemores.

— quod non corpora solum
Verum etiam volucres animæ sumus — & quod Deus
— Cœlumque tueri
Iussit; & erectos ad sidera tollere vultus;

Os sublime vna cum animo naturæ diuinæ consorte in terram deprimunt. Sæuiunt denique, lasciuiunt, vorant vt feræ, hoc illis deteriores quod illæ pilis obtectæ, hi nudi incedant. Hîc ego excipiens, at quid est, inquiebam Etesi, quod eos, cum homines nati sint, in feras deinde cõmutet? vitia, respondet, & quidem ipsi naturæ pudenda. Ea enim rationis lumen extinguunt, & animum quem

— cœlesti traximus arce

ad segnẽ & obscænam aluum prosternunt, & ex altissimo dignitatis gradu deiectum ad pecudes deturbant. An forte excepit Litholeon noua illic, & vera, nõ fabulosa Circe est, quæ virulentâ potione homines in belluas mutet? Ea inquit Etesius bruta voluptas est scelerũ omnium Magistra, quæ re ipsa facit, quod poëtarum natio de Circe effinxit. At iam

videamus quam ad viuum excellens ferarum venator Hetærianos animas captantes repræſentet. Ac in primis neceſſe eſt iuxta Horatianum illud —*leporem venator vt altâ*
In niue ſectetur:

vt ſcilicet tanto prædæ capiendæ ſtudio accenſus inæſtuet, vt dulcis in niue & ſub dio ſomnus ſit; vt haurienda è venatione voluptas menſarum, & amicorum delicijs præferatur; vt, quemadmodum Seneca ait, *multis officijs renũciet, quo belluarum cubicula indagare, & laqueo captare feras poßit;* —*& magnos canibus circumdare ſaltus.*

Deinde magna quædã ſolertia requiritur: qua inſtructus curſu cum velocibus, aſtu cum callidis, robore cum validis, iam ex inſidijs, iam aperta vi decertet. Iam verò quæ oratio Hetærianorum exprimendo ardori in indagandis capiendiſque ratione prædictis belluis par eſſe poſſit? Etenim in nullo vnquam mortalium vllius rei potiundæ deſiderium maius exarſit, ac in illis animarum; quia nec vllus ad explendam animæ deſiderantis ſitim, plura, ac illi adhibuit. fuit quidem in multis pecuniæ, honoris, deliciarum, ſcientiæ, & plurium eiuſmodi rerum amor immodicus, & ardentiſſimus; Hetæriano tamen animarum zelo collatus, frigidus fuit. Hic igni ſimilis, vt pote ab Ignatio ortus, quidquid obſtitit, abſumpſit, & animos, quos corripuit, terra ſublimes in altum ſupra caduca omnia euexit, ſiue quæ vi frangere, ſiue quæ diuturnitate temporis labefactare, ſiue quæ blanditijs emollire poſſent. Hic collocati, famem, &

ærumnas,

ærumnas, & quidquid his dirius vitam mortalium acerbã & miseram reddit; ferrum & ignem, & quidquid his sæuius vitam eandem mortalibus eripit, non æqui solum, sed & hilares tolerarunt; imo ipsa tolerantia velut oleo affuso acriùs accensi nonnulli exclamare, & hisce vocibus patiendi diriora affectum ardentissimum prodere sunt soliti: *Plus Domine.* Non solum his talibus dulcis in niue somnus, & quies sub dio iucunda extitit, sed fuêre (& inter alios Antonius Andradus dum per altissimas niues regnum Thebet inquireret) qui plures etiam menses non sine visus amittendi periculo niues calcarunt. Et suauissimè ijsdem indormierunt. Fuere qui integra vita saxo pro culcitra, humo aut assere, pro plumis vsi iucundius ac in rosis dormierunt. Nullus ijsdem scopulus tam in accessus & præruptus extitit, quo non inaudito antea nisu eluctati sint, modo prædę spes aliqua affulgeret. Nulla sylua tam vasta, tam periculis, feris, latronibus immanibus referta fuit, per quam non transierint; in qua retia non expanderint, dummodo ex animarum bono futurum sperarent. Nullum mare tam naufragijs funestum, tam fluctibus turbidum, tam piratis infestum fuit quod nõ enauigarint, nulla in orbe terrarum plaga tam frigore horrida, tam ignibus exusta, tam deserta & inculta, tam feris & crudelibus incolis habitata, nulla hominũ natio, tam barbara, sæua, immanis, belluina, quam non adierint, cultuque mansuetã & fertilem non reddiderint. Quanto animarum zelo Hetærianæ familiæ parens

Ignatius (vt hinc potissimum ordiamur) conflagrarit in Parisiensi glacie, & aliàs sæpissime; tum vel maximè declarauit, cum ad Summi Pontificis se pedes supplicem proiecit, & infimis ab eodem precibus efflagitauit; liceret sibi vnà cum Ioanne Nunnio in Æthiopiam, syluam venationi animarum felicissimæ perquam idoneam proficisci. Et certè cum alij ab ipso ignem illum conceperint primùm, quo deinde orbem vtrumque accenderunt, & gelu tot iam millibus annorum induratum resoluerunt, eundem in ipso authore luculentiorem extitisse par est credere. Nobilius enim in fonte, ac in riuo vnda existit. Quanta è pectore eiusdem Franciscus Xauerius cui ille vicinior adhæsit, incendia hausit? illius æstum Apostolico parem nullius certè dicendi facultas adæquet. Est quidem excepit Mnemon Poëta nonnemo eum exprimere conatus, sed quam exiguam eiusdem scintillam attigerit è carmine eiusdem licebit colligere quod in hunc modum deinde recitauit.

Nouum capaci pectore Xauier
Complexus orbem; grandibus inclitum
Apostoli nomen coæquās
Rebus, ad Oceano diremptos,
Vstosque Eoi solis ab ignibus
Iturus Indos: fortè stetit ratis
In fronte, vela iam daturæ
Æolidis; oculisque latè
Subiecit æquor; iamque animo mare
Quacunque sæuit fluctibus asperum

Emen-

Emensus; hæc secum. Xaueri,
In noua vota sinus relaxa
Inæstuantis pectoris: en sua
Pandit vicißim carbasa lenibus
Iam nauis auris: te secundis
Vsa notis, pelagoque miti
Stitura seris Antipodum plagis.
Fauete Diui. plana per æquora
Volet carina: non procellæ,
Non vada, non scopuli retardent;
Ruptumue prædo sistat iter. Celer
Assistar oris Inde tuis, meo
Prædulce pondus, Inde collo.
Hic sitis inueniet, meusque
Hic ignis vndas queîs animi leuem
Ardentis æstum, quem neget æquore
Sedare Nereus Vniuerso;
Amne suo releuabit Indus.
Illic ferarum nobilium greges
Passim vagantur cæca per auia
Syluarum. inaccessosque saltus:
Præda cadent mihi; lustra tandem
Quæcunque celent: nil erit inuium
Nostro labori: culmina montium
Abrupta conscendent? adibo.
Antra profunda tegent? subibo.
Arbusta claudent? vndique retibus In-

Inclusa cingam ne pateat fuga
Locus. Niues calcabo dio
Sub Ioue somnus erit suauis;
Non mollis vrar Solis ab ignibus
Geluue Brumæ: non labor improbus
Franget, fatigabitue cursus,
Spes quoties erit vlla prædæ.
Nec ante sistam, plurima dum mihi
Irretiatur bellua, cælico
Spectanda circo, vel Theatro.
Iam placidis date vela ventis.

Hoc ardentissimo zelo hic Indiarum Apostolus accensus spatiosissimum mare emensus in terras á nobis Pelago diuisas penetrauit, immanes, & barbaras nationes Cōmorinos, Parauasios, Malacenses, Acenos, Amboinos, Moluccas, Iapones adiuit, Christianæ vitæ præceptis imbuit, eo animarum fructu, vt eius vnius opera è densissima errorū nocte extracta, vt Thomas Bozius illustre familiæ de Oratorio sidus rationem iniuit ter; vt Alphonsus Salmeron numerauit quater; vt alij; duodecies centena hominum millia, Christianæ fidei solem aspexerint. Et totidem in Regno vastissimo Chinarum adiecturus Deo Duce fuisset, si aditu patefacto is vitam longiorem indulsisset. Hoc eodem inflāmatus Xauerio Magistro dignus discipulus Gaspar Barzæus vt animi incēdia aurâ velut affusâ mitigaret in Armuzia vno sæpius die quindecim conciones habuit eo fructu,

vt vbi

vt: vbi ante infame Mahometis ſimulachrum, aliaue id generis idola ſteterant, poſt CHRISTI Labarum refulgeret. Inter alios ſexcentos, qui ipſi vitam Sanctiorem, & ſalutem in acceptis ferunt, Vbius quidem fuit Ioannes quem à Mahomete ad CHRISTUM perduxit. Qui deinde ad conſtantiam ab eodem Barzæo incitatus glorioſam martyrij Lauream inuidenda Saracenis fortitudine reportauit. Hoc inflammatus Antonius Criminalis à XAVERIO ob morum inſignem integritatem ſanctus appellari ſolitus, quolibet menſe apud Brachmanes ſuos nudis pedibus ducenta milliaria confecit, ne vllibi ſua vnquam opera deeſſet, quam deinde DEVS Martyrio, præmio omnium glorioſiſſimo coronauit. Hoc eodem exæſtuans *Balthaſar Gagus*, *&* *Carolus Spinola in Japoniam*, *Matthæus Riccius*, *&* *Nicolaus Trigautius* in Chinas: ad Regem Mogor *Hieronymus Xauerius* magni illius nepos, & virtutum eiuſdem æmulus & *Rudolphus Aquauiua*: in Molucas Inſulas *Nunnius Ribera*, & *Alphonſus à Caſtro*: ad Commorinos *Henricus Henriquez*; ad Monomotapas *Conſaluus Sylueria*, in Æthiopiam *Joannes Nunnius*, & *Andreas Ouiedus*, in Africam *Balthaſar Barreira* & *Petrus Martinez*, in Guineam *Emmanuel Barros*, ad Maronitas montis Libani incolas *Ioannes Baptiſta Ælianus*, *&* *Ioannes Brunus*, *ad* Copthas *Chriſtophorus Rodriquez*, in Braſiliam *Emmanuel Norbrega* *&* *Joſephus Anchieta*: in Floridam *Ioannes Baptiſta Segura*, *Ioan-*

nes Baptista Mendez, *Ludouicus Quiros*, *Gabriel Gomez*, in Peru *Alponsus Barzana* & *Petrus Anascus*, in Philippinas *Antonius Sedennius* (vt iterum pene sine numero alios omittam qui aut eòdem aut aliò simili ardore flagrantes abierunt) profecti sunt, & illic gentes multitudine innumerabiles, feritate barbaras, belluinis moribus efferatas mitibus, & humanis informarunt, & ex stygia seruitute ereptas, dulcissimo Christi iugo subiecerunt. Et ijsdem in regionibus etiamnum ex Hetærianis quam plurimi degunt & à socijs cœptos labores continuant, & nouos adiungunt: nec enim tempore minuitur Hetærianorum zelus, sed potius augetur. HOC eodem æstu, & zelo flagrantes Indiam in Europa nacti sunt pene illa altera sæuiorem *Petrus Canisius* & *Paulus Hoffæus* in Germania, *Edmundus Augegerius*, *Petrus Cottonus*, & *Ludouicus Richeomus* in Francia, *Edmundus Campianus*, *Ioannes Ogilbeus*, *Henricus* & *Thomas Garnetus* in Anglia, *Petrus Scharga* in Polonia, *Iacobus Lelesius* in Transyluania, *Franciscus Costerus* & *Quintinus Charlart* in Belgio, *Cornelius Duystius*, & *Guilelmus Leo* in Hollandia præter innumeros alios cum Hæreticis publicè priuatimque congressi sunt, incredibilemq; eorum numerum ab errore in viam reuocarunt. Et profectò tum illi inter barbaros, tum hi inter impios fructus tam vberes suo è sudore enatos messuerunt, quibus nunc fruuntur in cælis, vt non facile

cilè recenſeri poſſint. Dubium autem eſſe non poteſt, quin multi animarum milliones iam beata immortalitate donati Heræriani ſuam illam poſt DEVM & DIVOS felicitatem cum dulciſſima grati animi ſignificatione adſcribant. Neque ſanè aliter euenire potuit. Nam ſi ex ijs vnus aliquis, vt iam à XAVERIO abeam, quadraginta millia ſolus ab errore reuocauit, vt de Edmundo Augerio conſtans fama credidit, quot centena millia vniuerſi toto orbe diſperſi ad veræ fidei veritatem perduxerint? Si vnus aliquis viginti animarum millia ſuæ curæ commiſſa in via ſalutis dirigat, vt nuper ex China tranſmiſſæ litteræ indicarunt, quot centena iterum millia vniuerſi curabunt? Præſertim cum iam enumerati omnes non ſolum egregia doctrina expoliti, ſed præterea inſigni ſanctitatis fama celebres extiterint, & plerique etiam nobilem martyrij lauream fuſo pro CHRISTO SANGVINE meruerint, eoque cultum à ſe agrum in incredibilem fœcunditatem irrigarint: Cum etiam ſpiritu APOSTOLICO pleni, & DEI vnius, DIVINÆQVE gloriæ latius propagandæ ſtudio accenſi dura, & aſpera omnia in alienæ ſalutis negotio procurando occurrere ſolita non ſolum heroica animi magnitudine ſed etiam cum mirifica voluptate tolerarint. Fierine potuit, quin fructus propemodum fide vberior reſponderet? quod multo adhuc credibilius fiet ſi variam hic Hetærianorum induſtriam, & ſolertiam conſideres, quod alterum erat, quod in excellente venatore exi-

gitur, vbi ſimul varia ſacræ huius venationis ratio & forma proponitur, quæ tamē in illa altera viciſſim antea adumbrata fuit; nā vt illic cōmunis omnibus feras captandi ratio eſt, ſaltus & ſyluas indagine cingere, canes, venabula, retia, & alia id generis adhibere: ita Heteriani in irretiendis animabus in Chriſti caſſes vſitato omnibus modo inprimis vſi ſūt, exquiſitâ dicēdi copia. Hanc, ne eſſet inefficax, & vna cum ſono abiret in auras, rarâ doctrinâ, & virtute armarunt. Eâ deinde inſtructi aut exedras aſcenderūt, aut priuatim cū ijs cōgreſſi ſunt, quos error à via ſalutis abduxerat. Et quia hæc in iā nominatis omnibus & alijs quam plurimis eximie enituit, eā orbi Chriſtiano varijs in locis faciē induxerunt; quā videmus. Non ſolū autem ij noxias Catholicæ Reipubl. belluas è medio ſuſtulerunt, qui vt ita dicā, gladio oris ſui eaſdē confixerunt; ſed etiam vel maximè ij, qui ſtylo, quo doctiſſimos quoſq; libros exararūt, eodē peſtilētes has feras confoderunt. Certe inter eos iure merito princeps Robertus Bellarm. in ſuis Controuerſijs errores innumeros, & errorum authores confecit, ita quidem vt multa millia in ijſdem veritatis iubar aſpexerint. Eundē è veſtigio ſubſequuntur ſcribendi gloria proximi *Petrus Caniſius*, *Martinus Becanus*, *Iacobus Gretzerus*, vt alios interim plurimos ſileam, qui ſtylo feroces eiuſmodi belluas prope innumeras interemerūt: inter quos optimo iure non pauci ex auguſtioris ſapientiæ Antiſtitibus, inprimis *Gregorius Valentia*, & *Franciſc. Suarez* numerādi ſunt: quorū poſterior, cū bene magno, & erudito volumine veritatē Catholicā cōtra Anglicanā hæreſin

acer-

acerrimè propugnasset; nec error veritatem coarguere posset Angli Vulcano in cōsiliū adhibito librū exurendum tradiderūt, quē refellere non poterant. Id cū ille intelligeret Ouidianū illud glorioso martyrij desiderio accēsus recitauit:

Parue nec inuideo sine me liber ibis in ignem,
Heu mihi quod domino non licet ire tuo!

Et hos quidē ij in spectata antea venatione repræsentarunt, qui retia tendebāt, feras venabulo alijsvè armis configebāt; aut etiā toti armis induti processerūt; vti is qui vrsum interemit; at suâ cum cithara nouus Orpheus & reliqui Musicis instrumētis instructi; & illa virgo cū Rhinocerote in eius gremiū infuso eos adumbrabat, qui alia quadā ratione feros homines nō tātum ceperūt, sed etiā expulsa feritate edomuerunt, & hi ipsi, plus penè quam reliqui ea in venatione præstiterunt. Sunt autem ij, qui mirifica quadam humanitate, modestia, mansuetudine, morum suauitate, amabili, & nescio quid diuinum, & angelicum spirante castitate, infracta in duris omnibus tolerantia, generosa caducarum rerum omnium, quas præsertim mundus admiratur, & amat, despicientia, & alijs eiusmodi virtutibus, quæ nescio quod lene tormentum animo humano admouent, & illum vi quidem, sed sine violentia tamen expugnant: mortalium pectora ad se pellexerunt. Sensim enim suæ pulchritudinis radios hæ virtutes in oculos primum, tum per hos in animum immittunt, qui vbi recepti sunt, mox sui admirationem, tum etiam amorem excitant, & ita fit paulatim, vt ab eo,

quem ſuſpicere & amare cæperis, duci te ſinas quocunque ille velit. Quidquid hic talis dixerit in negotio præſertim ſalutis, fidem, aſſenſum, amorém mox inuenit. Earum autem virtutum pulcherrima connexio, vbi cum eloquentia iuncta fuerit, quam facilè quiduis perſuadeat; docet in primis magnus ille *Xauerius*, quem barbari, vt hominem Diuinum: docet *Gaſpar Barzæus*, quem ipſi adeo Iudæi in Armuzia vt alterum Baptiſtam, docet *Rudolphus Aquauiua*, quem in Regia Mogorina aula cum Rege & Mahometani non pauci vt angelum ſuſpexerunt, cum eundem apud ſe triennio integro ſicca duntaxat Cerere & frigida victitantem, & diem cum nocte precando iungentem viderent; vt interim alios ſileam, quos barbaræ item gentes vt Sanctos, vt cœleſtes viros admiratæ ſunt. Cum eadem in *Petro Caniſio* vidiſſet Otto Truſcheſius ex eminentiſſimo purpuratorum Patrum Collegio Antiſtes Auguſtanus ſæpius ad pedes eiuſdem prouolutus eos manibus ſuis abluit. Mirifica item animi dimiſſio *Chriſtophori Rodriquez* in Lutherano expugnando plus valuit, quam eloquentia qua cæteroquin inſigni pollebat: Is enim tum demum manus veritati non inuitus dedit, cum Chriſtophorum ad genua ſua ſupplicem vidit; rogantemq; ſi quid importunius feciſſet; ignoſceret: nec enim aliud, niſi eius ſalutem ſpectaſſe. Et certè nihil eſſe potentius ad ſuperbos hæreticorum animos expugnandos rara animi modeſtia ſatis ex illo medicorum placito exploratum eſt. Contraria contrarijs curantur optimè. Eodem tamen


men etiam facit, quod Ludouicus Blosius insigni vitæ sanctimonia celeberrimus Hetærianorum amicus de *Quintino Charlartio* dictitare solitus est: nempe in mira eius humanitate & præclaris sanctissimæ vitæ exemplis plus momenti, ac subsidij quam in concionibus & armis ad hæreticorum expugnandam arrogantiam positum videri. Cum earundem virtutum suauissimam harmoniam in cathedram afferret Augerius, ex silice vndas excussit, cum hæreticorum oculos in lachrymas mouit. Ad Citharam Orphei & cantus ille pertinet, quem Hetæriani à Musis didicêre; cuius item dulcedine innumerabiles illectos, ad Orthodoxam fidē perduxerunt. Multa enim millia in Gymnasijs, & Academijs, eorum non tantum Ciceronianè loqui, sed & Christianè viuere, nec solum Prisciani, sed & Christi leges didicerunt. Nec enim fideliùs Hetæriani suis in scholis stagirea, quam diuina mysteria explicāt. Imo gentes integras, Chinas verbi gratia artium ab Hetærianis discendarum amor in Christi retia pellexit; Earum maximè quæ mathematicæ dicuntur. Eos enim Hetæriani docuêre non orbes tantum cœlestes inspicere, sed eorundem authòrem intueri. Sed ambigo tamen, pluresne dicendo, docendoue cōuerterint, quam moriendo. Plus enim & hîc sanguis, quam sudor valuit. Vti semper in Ecclesia, ita elapso sæculo Hetærianorum martyrum sanguis Christianorum innumerabilium semen fuit. Ne longius hinc abeam (neq; enim nox appropinquās finit) cum Alanus Cardinalis vir doctissimus de glorioso *Edmundi*

di Campiani Martyrio certior eſſet factus, aſſerere auſus eſt plus ſuâ morte tam nobili Campianum Angliæ ſuæ emolumenti attuliſſe, quam ſuperſtes ne viginti quidem annorum ſpatio præclarâ ſuâ eloquentia, & zelo incredibili allaturus fuiſſet. Quia vero hac de re dictum iam ſupra fuſius hic plura non addo. Interim Sol iam aliò properabat, apud Theraten igitur pernoctauimus. Habuit vt amicos Hetærij, non inhumaniter.

Hiems



Dente furit Livor, ferro Ethnicus, Hæresis irâ.
FRVSTRA. *Nil lædunt, damna sed ipsa iuvant.*



HIEMS
ANNI SECVLARIS SOCIETATIS IESV.

DECEMBER

PERSECVTIONES A CATHOLICIS complexus.

ATherate altero die digreſſi, vix paululum proceſſeramus, cum repente mutari viſa omnia: Sol, aura, venti, regio. Solis enim ſerenum hactenus iubar triſtius cœlum ex oculis ſubduxerat: aura aſperior videbatur gelu minari, aut niues. Boreas, & aquilo ab arcto ſpirabant immitiùs. Regio erat culta illa quidem, ſed aſpectu parum amœna. quidquid enim in oculos incurrebat, neſcio quam triſtitiæ faciem referebat. Eminus hinc, & inde ſquallidæ, & à niuibus canæ rupes eminebant, & infra eaſdem ſyluæ, ſed omni decore, & ornatu ſpoliatæ. In medio vallis in ampliſſimum ſpatium excurrebat; nobili tritico cōſita, & ſeges iam ad palmi longitudinem excreuerat; ſed eandem nix alta oppleuerat. Dum in eam vallem declinamus, Eteſius ſingulis,

ne quid detrimenti ab hyberno frigore caperemus, suffultam pellibus togam, & pileum obtulit, quales Sarmatis in vsu sunt;simulque;nisi scirem, inquiebat, generosi Iuuenes, quo animo essetis erga veram virtutē, nunquam huc eram ducturus. Verum cum probè intelligam, quâ estis excelsa indole præditi, huius Diuæ vos adeo amantes, & studiosos esse, vt eandem intueri vobis dulce sit,atque iucundum,vbi ea se se,& quocunque in habitu videndam exhibuerit, licet atro,& horrido: nec enim ea solū quæ molles sensuum, sed vel maximè, quæ acres ingenij oculos oblectant, quæritis: eiusmodi autem virtus est,etiā in tristi,& lugubri schemate: ideo nihil dubitaui etiam huc vobis itineris comes esse, vbi spectabitis quemadmodū Hetærij inuicta fortitudo in duris cum calumnia, cum odio,cum furore decertet,vincat,triumphet. Scitis generosa Phœbi decora, & minimè degener auorum illustrium sanguis,egregium, & suis numeris absolutum belli Ducem in acie,in iratis, & tumultuantibus vndis nauarchum,in turbata Republica principem solere cognosci:acanthidem item auiculam suauiùs in spinis canere, rosam in ijsdem, & lilium redolere iucundiùs; thus & aromata nisi ab igne accensa odorem nō exspirare; balsamum, & myrrham,nisi è vulnere liquorem adeo nobilem non diffundere:ita profectò & virtus soliditatem,&robur;celebritatē,& famam,odorē & decus omne ab aduersis habet. Virtus sine aduersis,nō virtus,sed virtutis larua,&vmbra est. Vera etenim virtus crocus est,qui dum atteritur,viret vberius,

palmæ

palma eſt, quæ depreſſa vltro reſurgit. Aurum eſt flammæ patiens, à qua nitidius fulget. Nam

----Aduerſis virtus exercita rebus Ouid. 5. triſt.
Triſti materiam tempore laudis habet.
Si nihil aduerſi durus vidiſset Vlyſſes
Penelope felix, ſed ſine laude foret.
Lætius eſt, quoties magno ſibi conſtat honeſtum. Luc. 9.

Et hinc eſt, cur Hetærius, vt ipſe vltro fatebitur, plus ferè vni Chemonio debeat, qui eius eximiã in aduerſis virtutem exercuit; probauit, expoliuit, auguſtã, & Soterij adeò thalamo non indignã effecit, quã Earo, Calothero, Oporo ſimul; qui eam genuerunt, & in eam ætatem aluerunt. Parum enim eſt belle effloruiſſe ſegetem, ſurrexiſſe etiã in culmum, & penè iam maturam agreſtium animos in ſpes magnas erexiſſe, ſi deinde totã grando deijciat, aut ſternat tempeſtas. Agite igitur nunc oculos afferte, quos dura delectent. Videte Hetærium veſtrũ in ſuis vti hactenus pręclarè agentẽ, ita deinceps fortiter tolerantem. In hoc enim vtroq; ſimul, excepit Mnemon, vera & genuina fortitudo ſita eſt. Qua de re Neomyſtę. cuiuſpiam Apollinei teſtimonium deinde attulit. Id erat autem eiuſmodi

Nomen virorum nobile fortium
Poſſeſſor olim non meritus tenet,
Qui geſſit audienda forti
Pectore, ſi generoſa metâ.
Hac fortitudo ſubſtitit. Agmina
Qui prima ducens fulminis in modum

In

In hostis obstantes cateruas
Irruit, oppositasq; ferro
Victore turmas plus vice simplici
Prosternit; atri si pauidus timet
Liuoris imbellem sagittam;
Pectora tabificos nec vltro
Offert in ictus. Transfuga qui pedi
Credit salutem, cum videt obuiam
Prodire fortunam, minantem
Vltima quæq; furente vultu,
Hoc nomen hæres degener occupat;
Vt clara rerum gloria grandium,
Curru deaurato sedentem
Peruehat aërias relictâ
Tellure nubes. Fortis is audiet
Qui magna fecit: qui tulit aspera:
Vtrimq; victor: cernere ausus
Tristia nil variante vultu.

Dum autem in dictâ iam valle progredimur, primum quod occurrit, præter segetem passim niue coopertam, collis fuit clementer assurgens, & in eodem proceræ aliquot quercus: in has quidquid ventorum ab Arcto spirat laxatis furori habenis omnem rabiem effundebat: huc illucq; summo impetu, Boreas & Aquilo iunctis viribus, veluti radicitus è terrâ euulsuri impellebant; & iam tum ramos aliquot excusserāt. sonitus ingens eminus exaudiri potuit. Vbi propiùs accessimus

mus ſub vnâ earum arborum hominem offendimus qui illîc aprum interemerat ; is vel iam mortuus adhuc horrori erat. Nam neſcio quid ſæuum adhucdum ſpirabat. Rogatus à nobis quâ vſus fortunâ tantam belluam ſolus ſtrauiſſet; dudum, reſpondit, obſeruaueram, eam è ſylua vicinâ egreſſam huc glandium causâ (etiamnum magnâ copiâ è ramis dependebant) itare ſolitam. Hac igitur nocte fortunam periclitari placuit. Pone hanc arborem (proxima aſtabat) eius aduentum operui; paulò ante auroram adfuit; in eam æneam fiſtulam exoneraui, ſed ictu minùs felice. nec enim lethalis fuit. Mox bellua in immanem iram exſurgens, ad me aduolat, iniuriam ſi poſſit, dentibus vltura, & certè de vitâ meâ iam actum erat, niſi ſubitò in hanc arborem eniſus effugiſſem. Illa cum in arborē aſcendere non poſſet: rabiem nihilominus exſatiatura, prægrandes, & recuruos dentes ſummo impetu defigit in arborem; eam ſi poſſit amorſura: ſed dum arboris ruinam, aut in ea mihi exitium molitur, ipſa ſuum inuenit. Nam dentem ea vi impreſſit, vt deinde, quia recuruus erat, eundem retrahere non poſſet. Ego igitur ſpatium nactus, ictum ex arbore, ſed paullò certiorē repeto, & glande vt videtis cerebrum diffidi. Nos illi fortunā & prædam ſumus gratulati, quam ille trahæ impoſitam domum cum triumpho auexit. Dentis pars bene magna in arboris trunco remanſerat, cum eam Eteſius eduxiſſet; præ enormi magnitudine mihi, & ſocijs ſtupori fuit. Eum imminuturus Mnemon in Cęſaris, inquit, hortis, in templo Liberi

Radeus in mart. patris dens ex mænalo apro asseruatus olim pedis vnius & quadrantis mensuram æquauit. Tum Litholeon, ea, inquit, hominis narratio ideo propius ad verum mihi visa est accedere, quod eadem de apri immoderata vindictæ cupiditate, *In centuriâ altera) symbole 47.* & effreni ira in Ioachimi Camerarij symbolis non ita pridem legeram, vbi ille disertè proposito ad id symbolo affirmat, solere non raro truculentam hanc belluam efferuescẽtis iræ impetum ad arborem tamdiu retundere, donec den- *De laud: Herc.* tes effringat. Ante illum, ego subiunxi iam olim idem Claudianus de apro ab Hercule interempto his versibus affirmarat. ---- *Hîc immensa membrorum mole cruentus*

Indomitus regnabat aper, soloque timendus

Corpore lunatis findebat dentibus ornos.

Rectè subiecit Etesius, hos dentes ob curuitatem lunatos ingeniosus Poëta appellauit; quos fulmineos passim ob igneam vim quandam appellant. Et eandem ob causam fulmen in ijsdem collocat Ouidius dum canit.

Fulmen habent in aduncis dentibus apri.

Aldronādus in apro. Aiunt autem vulnus ab aprino dente inflictum difficulter sanari: hinc apud venatores diuerbium est, *Ceruo Chirurgus, apro sandapila* quo indicant à ceruo vulneratos curationem admittere, ab apro non item. Iussi hic ab Etesio conijcere singuli, quid putaremus ea in bellua designari, seu cũ agi sciremus de ijs, qui Heterij patientiam exercendo reddidissent clariorem, qui potissimum in eadem adumbrarẽtur. Orarchon exorsus, Pontani sui authoritate fretus, ipsum ait

ego

ego Chemonium in illa video, qui toto ſeculo id vnum egit, vt Hetærij patientiam exerceret. Ego verò, excepit Litholeon, exiſtimem commodius in eo obtrectatorem intelligi. Nam iuxta Martialem meum.

---- *Dente timetur aper;*

Et iuxta Pelignum *vatem ----lædere viuos*

Liuor, & inuiſo carpere dente ſolet.

Ego deniq; Litholeontis ſententiæ ita ſubſcripſi, vt allatam quidem ab ipſo rationem ſummè probarim, aliam tamen ſimul adduxerim. Erat autem eiuſmodi. Roſas, & vnguenta precioſa odiſſe, ac ſpernere ſordidam hanc feram; gaudere autem cœno & luto. Eam in rem primo quidem Lucretium citabam ita de hac loquentem.

---- *Amaracinum fugitat ſus, & timet omne --- vnguentum.* lib. 6.

Deinde vulgare græcorum dictum afferebam, Crateti aliàs attributum ὗς διὰ ῥόδων. Ita quoq; aiebam maleuolos triſtibus, & funeſtis ſolere oblectari, amœna autem felicia & preclarè geſta carpere, imminuere, ęgris oculis obtueri Omnes mirifice laudauit Eteſius, & dicta confirmaturus rem inquit, omnes ſolerti ingenio aſſecuti eſtis. Nā imprimis hiēs hirſuta in hiſpida bellua: deinde Theonina obtrectatoris mordacitas in apri fulmineo, & adunco dente, ſeu vt alij vocant lunata cuſpide, & ſica: inuidus denique non niſi aduerſis, & triſtibus lætus in ſordium amante fera rectè depingitur. Quantum vero immani illa ſua & bruta ferocia aper damni huic arbori attulit, tantundem Hetærio

Ly-

Lycambea maleuolentia obtrectatorum dentem, imo & vitam amisit, vbi omnem iracundiæ impetum effudit; ita maximam partem, qui hactenus pestem & exitium Hetærio machinati sunt, iusto Numine eandē in authores retorquente in ventos abeunte conatu; ibi amissâ animæ vitâ, & nominis vt plurimum fama, suam perniciem repererunt vbi Hetærio quærebant. Arbor Hetærius fuit, & quidem robusta quercus; ad quam eiusmodi apri non pauci igneos, & in vltionem acutos dentes diffregerunt; à quibus illa aut nihil, aut perparum detrimenti accepit. Quid liuor, excepit Mnemon, in Hetærium hucusque molitus sit, & quo tandem euentu, ex aonio neomysta discamus. Ita ille.

Jam tota currunt sæcula, cum truci
Desæuit irâ liuor, Hetærio
Iam tum (nocendi fata laxent
Libera frena) secare fractâ
Ceruice collum promptus. Hetærius
Assumpsit alas? ceu Iouis armiger
Nubes petiturus propinquas
Sideribus? nimius furoris,
Inusitatæ nec patiens viæ,
Alas securi, quas licuit, suâ
Incidit. Arbor vt virescens
Floruit? explicuitque vernæ
Latè comantes purpureum decus
Frondes iuuentæ? nil nisi squalidum

Assue-

Assuetus obliquo intueri
Lumine, læta perosus, æger
Abblandientis veris amabili
Honore: vernas sæuijt in comas
Ferro: sed illic stare iussus:
Præ rabie licet ora spumis
Oppleret, ipsam mallet & arborem
Radice totam euellere stirpitus.
Ceu Phœbus innubi refulsit
Æthere? purpureiq; vultus
Diffudit orbi conspicuum iubar?
Non ausus atris lumina nubilis,
Cæcis & innutrita quondam
Carceribus, specubusq;, claræ
Inferre luci, Cymmeriæ nigras
Collegit vmbras: quicquid & vspiam
Atri repertum est. siue nox id,
Siue triceps Hecate profundis
Occludat antris: in niueas simul
Efflauit auras: queîs adimat diem
Si fata voluant. sin: eandem
Horrificis tenebris obumbret.
At dire frustra es liuor: Hetærius
Ceruice saluâ viuit. in integrum
Pennâ renatâ, iamque celsas
Inuehitur meliore nixus

Alâ per auras; claraque fulgidis
Inſcribit aſtris nomina. Ver nouum
Frondoſa ſarſit damna
Fœnore: ſplendidiorque fulget
Pulſis tenebris, clarius addidit
Nox imo lumen: profuit & furor
Borêus: & quando ſecuris
Sæua recîdit, adauxit alas.

Ex colle eodem ad radicem annoſæ quercus tenui quidem, ſed perenni tamen venâ fons exſiliebat; qui deinde per ſubiectum paullo inferius pomarium in latiſſimum pratum effluebat. Ad caput neſcio quid calidi vaporis exhalabat, nec illic hiberno frigore in glaciem coiuerat; neq; ſolere id fieri monuit Eteſius. Ad riuuli hinc effuſi ripas arbores, & herbæ aliquot etiamnum amœnè virebant. Inter arbores cupreſſus, laurus, Sabina & palma erat; inter herbas lætius erat pulegium. Quercum etiã vnam hedera viridis complexu ſuo ambierat, & eandem penè etiam vernantem effecerat. Vt ea viriditas multò iucundior oculis accideret, primo quidẽ raritas fecit, quæ & precium auxit, & voluptatem; deinde hilaris illa velut conſtantia, quæ hibernam ſæuitiam quodammodo victrix triumphabat. Nã ſi præditæ ſenſu & loquendi facultate eæ arbores & herbæ fuiſſent dicturæ videbantur. En ſuam in nos rabiem omnem Chemonius exonerat, frigore & gelu adurit, niuibus aſpergit, ventos reli-

quis sæuiores Boream in nos, & Aquilonem immittit: & nihilominus vt maximè velit, nocere non poteſt, nec ornatu quidem noſtro nos exuere. nempe:

Vana eſt ſine viribus ira.

Ad palmæ radicem hydri aliquot reptabant. Quod conſpicatus Litholeon, ita, inquit, vetuſtas more ægyptio inuidiæ victorem adumbrabat: id enim nuper in Nicolai Cauſini ſymbolis reperi, dum ea curiosè euoluerem hinc lucem hauſturus, ad ænigmata publicè propoſita tenebris ſuis euoluenda. Et rectè quidem, inquit Eteſius, ingenioſa antiquitas, & noſtro hoc æuo Poëtæ in hoc ſymbolo inuidię domitorē agnoſcūt. quātum enim hi colubri palmę, tantundē obtrectatores virtuti officiunt; imò vt plurimum proſunt. Nec enim parum hoc ſęculo calumniatores Hetęrio veſtro profuerunt: cuius virtutem multo illuſtriorem reddiderūt, & palam in luce omnibus ſpectandam dederunt; id quod difficile non erit ex ijs omnibus, quæ hic oculis veſtris ſubiecta cernitis, eruere. Circumferte enim oculos, & hanc circumfuſam inprimis ſegetem, hæc prata, has in pomario propinquo arbores, has item adeo iucundè virentes: hanc quercum ſua in hedera adeo lætam, hunc deniq; fontem intuemini: & quid hactenus à Chemonio ſuo, à ſuis obtrectatoribus, & Catholicis quidem, de quibus hîc tantum mentio eſt, tolerarit Hetærius: quo item emolumento ſuo, & bono, quo animi robore, quā infracta in aduerſis fortitudine, quam ſerena fronte, perſpicuè cognoſcetis. Vbi minimè

velim mihi vni loquendi personam impositam esse, sed pergratum erit sæpius interpellari. Inprimis hiberna sæuitia, quidquid virium habuit, vt cernitis, hic exseruit. Segetem inprimis, & in pratis gramina niuium copia penè sepeliuit; eisdemque squalidam, quam videtis faciem, induxit, vt fere emortua videantur. Arbores & herbas cæteras præter has virescentes, foliorum & frondium amœno honore, & ornatu priuauit: quarum rami, ceu arida, & à carnibus separata ossa, aspero & immiti gelu adusti squalent. Easdem immani præterea ventorum furore impugnauit: Et, siquidem vis maior non obstitisset, imis ex radicibus euulsisset. Reliquiæ vicissim arbores easdem iniurias, licet meliori suâ fortunâ expertæ sunt. Quid tamen tota illa crudelitas effecit? Dum nocere studuit; profuit. Nam inprimis illa in agris triticea seges; & in pratis gramina nunc velut sub niuibus emortua; hæ item quercus, & reliquæ arbores nunc quidem omni decore spoliatæ, vbi blandi & verni soles redierint, amœnissimè reuirebunt; & illa rerum iucunditas multò futura est gratior; quod hiberno squallore sit interrupta, quam si perpetua fuisset. Grata est omnis rerum vicissitudo, & ea comprimis, quæ è tristi lætior exsurgit. Ab ea mirificè veris amœnitatem vates commendant. quorum vnus,

Diffugêre, inquit, *niues, redeunt iam gramina campis,*
Arboribusq; comæ.

Et si quidem ij, qui nunc hic consistimus sub vernum tem-

pus;

pus hoc eodem in cliuo subsisteremus, multò certè iucundissima rerum facies ex horum agrorum pratorumque vernantium lætitiâ, ex harum arborum pulcherrimo ornatu, cæterarumque rerum & huius præsertim crystallini fontis adspectu, cuius tum temporis

---- obliquo laborat,
Lympha fugax trepidare riuo

in oculos occurreret; & vna secum non parum dulcissimæ voluptatis in animum deriuaret. A niue deinde seges, & gramen vberiùs prouenit, à gelu euadit solidius. Illa enim frigoris acrimoniam temperat, impeditq; ne, quod vitalis velut caloris in terræ visceribus latet, exhalet; hoc autẽ segetẽ, & gramina firmiùs terrę astringit. Ac illud quidẽ de vbertate certum esse excepit Mnemon, sæpius experientia compertum est: nam in Poloniâ ad annum reparatæ salutis 1334. quinque dierum spatio insolens niuium copia deciderat, quam deinde prorsus inspectata, & maxima fertilitas subsecuta est. Et ibidem anno 1353. nix per sex dies continuos dilapsa, terram ad 2. cubitorum altitudinem oppleuerat; quam ea fœcunditas excepit, qua Polonia maiorem vix vidit. His ego addidi quæ de anno 1624. inaudieram: quo quanta rerum omnium, vini inprimis abundantia fuerit, nemini non notissimum. Eodem tamen anno tanta quoque frigoris acerrimi asperitas fuit, vt densissima glacie constricti Schaldis, Mosa, & Rhenus cuiusuis onustissimi currus pondera sustinuerint. Post quæ Litholeon

existimem tamen, inquit, non minus commodi has quercus à ventis quam à niue segetem reportasse. Nam Seneca: Non est, inquit, arbor solida neque fortis, nisi in quam ventus frequens incursat. Ipsa enim vexatione constringitur & radices certius figit. Hæc autem radicum solidior firmitas præterquam quod etiam virescentibus arboribus communis sit; tamen à sua etiam tam lætâ constantiâ in medijs Chemonij iniurijs virorum fortium in aduersis symbolon esse meretur; eo enim pulegium (eadem autem est ratio reliquarum rerum omnium hieme virescentium) Causinus vsurpat. Ad quæ Etesius, videtis igitur, inquit, generosi Iuuenes; Chemonium tanto molimine conatuque id solum efficere, vt tandem prosit, cui obesse cupiebat. Eius enim crudelitas certo limite conclusa est quem egredi nõ ausit. Hinc neque in hunc fontem omni rabie suâ quidquam potuit. Is enim, vt oculis patet, à glacie immunis calidiorem, ac media æstate vndam euoluit. quod à circunfusi frigoris peristasi, vt vocant, prouenit. Vt autem nunc paulatim ex vmbra in solem abeamus, inuidia, obtrectatio, calumnia vbi potuit, lingua, dentibus, telo Hetærio nocere studuit; sed vulnus quod inflixit, aut nullum, aut minimè periculosum fuit; imò ex eodem, vt plurimum non mors, sed noua velut vita, & priori illustrior dulciorq; fluxit. Nam vt à fonte ordiamur: atrox calumnia vix surgentem Hetærij familiam in ipso capite funditus euertere non semel conata est, & vero effecisset si iræ vires suffecissent. Nam Romæ nonnemo ab

Igna-

Ignatio supra quam dici potest offensus ob mulierculam quam deperibat, eidem subtractam, improbissimas in eundem, & socios calumnias tota pene cum bile effudit, quas scilicet exulceratus irâ animus suggessit. Ignatius cum suis Christianæ patientiæ memor primo quidem dissimulat; post etiam lenire beneficijs obtrectatoris ferociam cœpit. Sed cum sustinentis tolerantia libidinem criminatoris roboraret, res ad summum in terris tribunal delata est: vbi oppressâ calumnia, & defensa innocentia Ignatius magnificis verbis in illo orbis theatro laudatus multo euasit illustrior. Cuius, vt Maffæus adiungit, vti antea semper ita tum quoque sanctitatem illustrauit hominum iniuria, & Deo duce virtus & veritas dum violatur, effulsit. In eundem paulo post Sacerdos quispiam vt efferus aper, spumans præ vltionis rabie dentis fulmen detorsit, sed dentem effregit cum nō modica famæ, imò & vitæ iactura. Nam silente Ignatio, & etiam pro eodem orante Sacerdotali gradu deturbatus perpetuò carceri mancipatus est, in quo sibi iure merito illud Ouidij occinere poterat.

Heu patior telis vulnera facta meis!

Iam tum magnificum illud Soterij promissum. *Ego vobis Romæ propitius ero*; cœpit impleri; quo velut clypeo defensus Hetærius, & Romæ & vbiuis gentium hactenus maleuolorum omnium tela sine vulnere saltem lethali excepit. Famam autem præcipuè, subinde tamen & fortunas obtrectator inuasit. Ac illam quidem cum potuit dente Theo-

nino

nino circumrosit, linguâ virulentâ infecit, stylo confôdit. Pudendo enim mendacio sparsit in vulgus Hetærium nescio sub quâ sanctitatis larua enormia scelera occulere, esse ex eorum numero:

Qui Curios simulent & bacchanalia viuant:

vestem & animum, nimium quantum, diffidere: illâ ouem, hoc lupum esse: doctrinam item & vitam non congruere, videre meliora & probare

---- deteriora sequi

verbo hypocritam insignem esse: deinde

----immensum argenti pondus & auri.
Furtim defossa timidum deponere terrâ

cuius inexhausta fame, & siti accensus perpetuum clamet: *Nil satis est*:- ideoque ditissimum quemque ad se se varijs artibus allicere; opulentis aliorum fortunis inhiare, captandorum testamentorum artem professum, verba hic eius byssina, & hamata esse. Et quidem non pauca huius generis proximis annis Nocoliæ lingua mendacissima diuulgauit. Eundem ad propudiosas libidines proiectum probra vel ipsi naturæ pudenda perpetrare: & eum in finem non semel sceleratissimæ vitæ & profligati pudoris mortales substituit, qui sub Hetærii mentito habitu hactenus inaudita scelera designarunt. Illius secreti proditorem eundem esse, non vno in loco clamauit, quod è confessione hauriret: mollem & delicijs affluentem vitam ducere, secus ac alij faciant, qui

simile

ſimile vitæ inſtitutum teneant; auſteritatē, & quidquid carnem exercet, auerſari, lites, diſſidia, bella inter reges & principes ſerere, in aliorum fortunas inuolare, in meſſem alienā falcem mittere, iura & priuilegia aliorum imminuere. Vafrum, aſtutum, verſipellem, vulpem eſſe, & ſimilibus artibus optimam quamque indolem ad ſe pellectam corrumpere, hæc & ſexcenta alia his affinia vbiuis gentium in imperitæ plebis, in regum & principum aures infudit, orbem ſi poſſit vniuerſum in Hetærium concitatura, ſi frena laxentur libidini. Eadem his annis aliquem nacta eſt, qui ex alienâ infamiâ famam quæſiturus ſtrenuam eidem operam elocauit. Is ex omnibus orbis vniuerſi angulis congeſtas calumnias in vnum comportauit, chartæ commiſit, emiſit in vulgus; ſtylo vt putabat, Hetærianæ exiſtimationi gulam transfoſſurus. Quo vero cautius falleret, more calumniatoribus vſitato varias perſonas, & nomina aſſumpſit. Iam enim Paſchaſium Groſippum, iam Philoxenum Melandrum, iam alium ſe vocauit. qui vetus monadiſtichon ad vnguem obſeruans,

Nil probat calumniator, criminatur omnia

quidquid ſubſidij ad ſtruendam calumniam ab ingenio, à diuturnâ conuiciandi exercitatione; ab infenſiſſimo contra Hetærium animo, ab omnibus vſpiam terrarum exiſtentibus, & in eundem grauiſſime concitatis nanciſci; quidquid præterea comminiſci ipſe potuit; collegit & his annis orbi Catholico eo conſilio obtruſit, vt peſtem Hetærio vltimam

moliretur Sed quid nefarius hic sycophanta: quid vbiuis gentium, in omnibus regnis & prouincijs, pręsertim in Italia, Hispania, Gallia, Germania, Polonia, Belgio, in omnibus penè vrbibus vbi vnquam domicilium fixit Hetęrius maxime Romæ, Parisijs, Toleti, Madriti, Salmanticæ, Conchæ, Cæsar augustæ, Louanij, Nocoliæ, & alibi infelix calumnia tot impudentissimis mendacijs, tot insidijs, tanto nocendi ardore conatuque effecit? quem exitum tot improbissimæ criminationes habuère? quo gloriosiorem vix optet Hetærius. Nam ea omnia instar hibernę niuis ad vernum iam solē liquentis, paulatim ad veritatis radios disparuerũt. Subinde quidem clarissimum Hetęrij nomen aliquãdiu vti nix segetē & gramina, obtexerũt, sed vt illa in vndas iam resoluta agros & prata irrigat atq; fœcundat, ita hęc cũ disparerent, eiusdē nominis claritatē incredibilē in modum auxerunt. Deinde vti à gelu & frigore segetes, à ventorũ agitatione arbores soliditatē; ita ille ab his calumnijs robur & constãtiam traxit, deniq; vti virescentes hæ arbores & herbę viriditate suâ hilares hiemis, ita ille hostium suorum iniurias innocentia sua lætus excepit, victor triumphauit, idq; non solum sine iactura, sed etiam cum mirifico existimationis augmento. Nam ex illa obtrectationum velut iliade quanto emersit semper illustrior? an non enim rectissime in illum Hannibalis illud apud Horatium quadret?

Merses profundo? pulchrior euenit:
Luctere? multâ proruet integrum
Cum laude victorem.

Quan-

Quanto enim ex innumerabilium criminationum velut pelago pulchrior & clarior ſemper emerſit? Quot vbiuis gentium non quidem ab Hetærio ſed à ſummis quibuſq; in orbe terrarum protriti iacent, qui ſe iam rati victores Hetærij, eum depreſſum ibant! Nam quamuis Heterius ſua innocẽtia fretus luctari, vt plurimum, cum maleuolentia, & liuore hactenus noluerit; eius nihilominus cauſam defendendam ſummi Pontifices, Cęſares, Reges, Principes, purpura, infula, dignitate ſapientia, ſanctitate conſpicui viri; vniuerſitates, academiæ, vrbes ſuſceperunt, quorum magnificentiſſima de Hetærio Elogia, decreta, apologiæ plus ſolidę exiſtimationis, veræ laudis, & gloriæ eidem apud optimum quemq; pepererunt, quam vnquam omnes omnium obtrectatorum ſtrophæ, ſycophantiæ, criminationes, calumniæ ademerint. Vnum alterumue eiuſmodi elogium adduxiſſe ſufficiat: qui enim plura deſiderarit, facile in Richeomi, Gretzeri, Foreri, Adami Contzen & Petri Steuartij apologijs pro Hetærio inuenerit. Hic extremus qui non Hetærianus ſed Ingolſtadianę academię profeſſor, & vero etiam Rector magnificus; ac Sereniſſimo Bauariæ duci à ſecretis fuit; hęc pro Hetærij innocentia ſcripta poſterorum memoriæ reliquit. *Quo minus illa grauiſſima flagitia perpetraſſe, aut tam horrenda conuitia meritos eſſe Jeſuitas credant, obſtabit auctoritas & teſtimonium penè totius orbis Catholici. Jeſuitarum pietatem, puritatem vitaque innocentiam manifeſtam reddunt, tot templa vel ipſorum propria vel* pag. 126. in apol. & pag. 127.

aliena quæ restaurata, purgata, magnificentißimè exornata sunt: ille ardor & felicitas, improbos, impudicos sceleratos à vitiis reuocandi; bonos ac pios ad perfectionem Christianam incitandi, vt ab eorum exortu vrbes ac prouinciæ bonis ciuibus, templa castis Sacerdotibus, Monasteria religiosissimis hominibus sint repleta. Quid memorem illum conatum, illumque indefessum laborē, rudes, vilißimos homines, puerosq; in doctrina Christiana instituendi, eaque de causa loca asperrima, horrida, barbara peragrandi alacritatem, & durissima quæq; pro Christo patiendi cupiditatem! quid? Cuiusmodi testes sunt illi, quam incorrupti, quam sinceri qui Christianum nomē nec audiuerunt vnquam? Ad quos cum patres veniunt, tanquam cœlo delapsi honorantur: non alia de causa quam ob admirabilem virtutem sapientiam & vitæ innocentiā. Ipse ille ingens numerus, illa quotidiana incrementa Societatis Iesu, cui se non adolescētes tantū optimi: sed viri clarissimi associāt, quale quantūq; est testimoniū? Sed quid opus est multis? Nullus est hominum ordo aut natio ad quam Iesuitæ peruenerint, aut apud quam vixerint, quæ non præclarum & integerrimū testimonium contra pseudohistoriam (& omnes Philoxeni Melandri nefaria mendacia & quasuis alias calumnias) Societati Iesu datura sit? Multi ex illis ipsis qui quædam in Iesuitis aliquando reprehenderint, aut non ~~optime aliquando~~ aliquando de ijs locuti fuerint, se vera dixisse aut penitus intellexiße res Societatis negabunt palamque profitebuntur hanc Societatem esse plane ob ea omnia, quæ in aliquo hominum ordine

ad

ad eius conseruationem amplificationemq; desiderari poßint, admirabilem & à Deo missam atque institutam Catholicæ rei bono & remedio calamitosorum horum temporum: sicut alij sanctißimi religiosorum hominum ordines superioribus seculis ad illorum temporum vtilitatem & salutem extiterunt; vnaque nunc cum Societatis Iesu Patribus Catholicæ religionis propagationem egregiè pariter promouent. Sed quid multis? Testes innocentiæ Iesuitarum sunt præcipui orbis Monarchæ, amplißima regna, nobilißimæ prouinciæ, celeberrimæ vrbes. Et demum omnes homines, qui familiariter eis vtuntur; qui eorum templa adeunt; Conciones audiunt, Sacramenta ab eis recipiunt; & quotquot sunt, fuerunt, eruntq; eorum discipuli, quorum est multitudo innumerabilis. Ita quidem Iesuitæ affecti sunt, vt si ab eorum abitu & discessu salus, ac tranquillitas Germaniæ & imperij penderet, aut si suam in Catholica fide tuenda operam vel superfluam, vel non necessariam viderent, sponte essent ex Germania ad vltimas terras, in quibus præbent speciem nascentis Christi Ecclesiæ, migraturi: imo si pax atque concordia, fideique Catholicæ vnitas eorum morte redimi possent; libentißimis animis proprium sanguinem potius effusuri, quam passuri essent, vt propter eos quicquam Germania detrimenti perciperet. Huius suæ voluntatis, & amoris in Rempublicam testes & obsides dederunt; multis in locis fortißimos & constantißimos Martyres. Et verò quid in vita sua, moribus, functionibus aliud agunt, quam vt testentur voluntatem iuuandæ patriæ, & vnita-

Tt 3

nitatis Catholicæ restituendæ? Cur patriam, parentes, amplas hæreditates, honores, dignitates, amicitias splendidas, & cætera quæ magni vulgò fiunt, deseruerunt? & vsu necessario contenti non quæ volunt, sed quæ dantur, iubentur, accipiunt, peragunt? Et quæ sunt eorum studia nisi reipubl. vtilißima? à vitio deterrere, ad virtutem promouere hominum animos, mœstis solamen, afflictis solatium, perditis salutem afferre? vix inter summos & infimos discrimen agnoscere, sed vt res tulerit, pari charitate, contentione, ardore, illorum aut horum vtilitati ac saluti inseruire? coniunctis precibus, studiis, viribus animi laborare, vt Catholica fides propagetur, hæreses doctrinæ solum grauitate & exemplis innocentiæ euellantur, ac extinguantur &c. Quid dici in laudem illustrius? pro innocentiâ augustius potuit? Sed Doctori regem iungamus. Potuitne quicquam Hetærio accidere honorificẽtius quam quod Henricus IV. Franciæ Rex, qui à rerum gestarum, bellicæ fortitudinis, raræ prudentiæ laude magni nomen inuenit, ipsius in Francia oppressi calumniâ patrocinium susceperit? criminationes propè innumeras ipsi obiectas; quæ toties postea à Grosippo & alijs recoctæ sunt, ipsemet clarissimis rationibus pro suâ singulari sapientia confutârit? regiâ auctoritate infamem columnam disturbari mandarit? Hetærium coram grauissimo, prudentissimoque conscriptorum Patrum concilio magnificentissimis verbis laudatum inuidenda obtrectatoribus gloriâ & celeberrimo lætissimoq; Galliæ melioris applausu non solum in veteres sedes reduxerit?

xerit; ſed prætereà nouas eidem regali munificentia erexerit? Maior tamen aliquis in orbe inuentus eſt, aut potius diuino Soterij beneficio, cuius vices agit in terris, ſubmiſſus Vrbanus VIII. Pont. Maximus, qui maximo regi in propulſandâ ab Hæterio calumniâ nil ceſſit. Is enim libellos probris, & infamia plenos funeſto calamo in Hetærij perniciem exaratos ſuâ authoritate qua maiorem orbis non agnoſcit damnatos, igni addixit. Cuius exemplum pulcherrimum ſecuti Hiſpanæ inquiſitionis præſides, ſapientia & religione clariſſimi viri eoſdem aſino impoſitos, ad infamem rogum auexerunt, digno ſupplicio afficiendos. Quanto plus hinc veræ gloriæ & clariſſimæ exiſtimationis in *H*etærium quam ignominiæ ex omnium obtrectatorum calumnijs toto iam ſæculo in eundem iactis profluxit? muto illud Ouidij:

Si nihil infeſti vidiſſet Hetærius vnquam
Fortaſſe felix, ſed ſine laude foret.

IANVARIVS

Perſecutionem ab hæreticis continens.

SEcundum hæc è colle deſcendimus, & propinquum pomarium prægreſſi, per pratum eminus antea viſum in vicinam ſyluam altiſſimæ rupi adhærentem tendimus.

mus. Hîc conuersus ad nos Etesius: gaudeo, inquit, generosi adolescentes, tantum abesse, vt hyberna vos spectacula terreant vt etiam oblectent, ac pene magis, ac vernæ, æstiuæque arborum scenæ: Id enim non dubijs signis visi estis antea declarasse. Agite igitur eosdem etiam animos, & oculos ad reliqua, quæ lustranda superant, afferte. Tum viæ asperitatem sermonibus leniturus, vetus inquit, & verum est.

--- veritas odium parit.

Nam rectissimè de omnibus hominibus dixeris, quod de Gallico suo Martialis.

Vero verius ergo quid sit audi
Verum Gallice non libenter audis.

Et in promptu causa est; reprehendi nemo, laudari omnes volunt. Quotus enim quisque est, qui errata, & vitia sua sibi obijci æquus ferat? Quis cæteroquin agnus, hic leo non est? Et hinc est, cur Ruthleus & Lucianus, & quicunque hos viæ duces ad cælos, inferos inquam sequuntur, immani quopiam odio in Hetærium ferantur: quia pudendos, & infames eorum errores, & horrenda ex illis enata flagitia è tenebris eruta palam in luce & omnium oculis statuit. Hinc enim hæc tam atrocia odia in Hetærium potissimum fluere, Petrus Steuartius dilucidè his verbis affirmat. *Quarum (calumniarum) omnium fundamentum est ipsa Fides, ac religio Catholica, quam ita disseminant longè latèque Societatis Iesu Patres, tantaque cura, studio fœlicitate propugnant, & contra omnes vestras machinas fraudes, dolosque defendunt;*

In apologia pro Societate cap. fol. 16.

vt

vt quicunq; cum iis egerint, aut versati sint, mendacia vestra, aut imposturas facilè deprehenderint, adeò vt periculum sit, ne si à vestris, quos miserè seducitis audirentur, aut scripta eorũ in manus omnium peruenirent, & animo veritatis noscendæ & amplectendæ cupido legerentur, breui omnes ad Catholicã vnitatem conuerterentur, quemadmodum multa millia hominum iam horum virorum studio & pietate desertis cisternis, quæ aquam continere non valent, ad Ecclesiæ Romanæ fontes magna contentione properarunt: & tandem vestris imposturis & dolis cognitis, quod vnquam vllo momento ab Ecclesia nostra abfuerint, vehementer dolent.

Hæc vnica ac præcipua causa est odij vestri in Patres Societatis Iesu, omnesq; eorum Patronos & amicos: hæc sola doctrina vos audaces facit, & promptos ad mentiendum & calumniandum, quicquid vobis ira ac bilis suggerit. Videtis enim salua Catholica doctrina, itaq; defensa, quemadmodum à Societatis Iesu hominibus publicè docetur promulgatur, propugnatur, omnes hæreses labi & corruere: patere consilia ac leuitatem vestram, vosq; vt homines nihili & vilissimos despici & contemni. Idem ex Poëtis quispiam, excepit Mnemon suo more in veteri Alcide Cerberum ex Orci tenebris in lucem protractum interimente ita expressit, vt sequitur

Alcides Lojoleus squalentibus Orci
E tenebris, niueam fulgentis in ætheris auram
Eduxit monstrum, ternis quod faucibus ignes
Eructat, iussitq; pati rutilantia phœbi

Sidera. Lucifugo cum fulgida lumina visu
Horreret, nec lora pati iam promptus, ahenis
Nexibus elabi reditumque pararet in vmbras
Cerberus: extemplo nodosam nobilis Heros
Apprêndit clauam: fronti collineat ictum:
Quem librat robusta manus: fœtumq; colubris
In caput insultat vulnus: spumansq; veneno
Elidit cerebrum, quo nunquam Colchica tellus
Pestiferis virus nutriuit sæuius herbis.
Hinc immortales excanduit Orcus in iras
Et rabidus quæ tela furor, rabiesq; dederunt,
Iecit in Alciden: fallente sed hactenus ictu.
Si læsit quandoque: salus vel vulnere fluxit,
Purpureusue liquor, quo murex postea tinctus,
Quo nunc conspicui stellante sub axe refulgent.

Nihilominus, excepit Etesius, à cœptis non destitit; is vindictæ ardor est, sed sui furoris ministros, ac satellites virulentâ, & fellea linguâ, Lycambeo stylo ferroque, & flammâ armatos in eundem identidem immisit. Ductores cæterorum Ruthleus & Lucianus extitere, quos subsecuta tali parente non indigna soboles, inprimis ne à maiorum suorum vestigijs deflecteret, conuitiorum, calumniarumque plaustra in eum ore sacrilego euomuit. Antichristi prodromum, peculatorem, hostem, proditorem patriæ, scelerum omnium architectum, bellorum authorem, humani generis labem, orbis Christiani pestem, cacodœmonis satellitem,

in exedris, circulis, platea, foro, conuiuijs, vbiuis locorum proclamauit. verum cum ea re parũ promoueret: risit enim Hetærius. quippe

Conscia mens recti famæ mendacia ridet.

Quicunq; ex ea fæce & labe hominum truculentius odium in Hæterium conceperant; stylo arrepto in eiusdem iugulum inuolarunt sanguinem emissuri, si Dijs placet, quo rabiosum furorem explerent. Ingens eorum hactenus numerus fuit. Ac è Germania quidem prodierunt, Hasenmilleri, Leyseri, Miseni, Parei, Vesthusij, Stenij, Caluisij: ex Gallia, Hugonottica, Paschasij, Arnaldi, Thuani: ex Batauia Burdones, Dousæ, Iani, Böchörinci: ex Polonia item, & Anglia, & aliundè multo plures nefarij Hetæriomastiges: simili ferè ratione qua Herostratus, qui templum longè augustissimum Dianæ Ephesinæ exussit, insigni scelere nominis famam sibi comparaturi; quidquid vnquam in suo, & sibi similium cerebro cusum aduersus Hetærium fuit, quidquid exulceratissimi pectoris rabies suggessit; quidquid calumnia, eousque sparserat, summa diligentia collegerunt, typis, & prelo cõmiserunt ediderunt in vulgus. quo euentu? In scriptis à se libris & ipsi, & alij tandem Hetærij innocentiam, & ex hac eximiam laudem in Hetærium deriuatam legerunt. quid enim posit esse ad laudem magnificentius, quam ab ijs sceleribus, de quibus accusêre, rectè omnium sentientium, & orbis adeo vniuersi iudicio immunem iudicari! Hîc autem furor qui metam ignorat, non substitit, sed ferro arrepto

terra marique inauditæ crudelitatis exempla ſtatuit; in corpora, & fortunas HETÆRIJ graſſatus. Angliam, Franciam, Germaniam, Poloniam mare non vnum cædibus HETÆRIANIS impleuit. E regnis, Prouincijs, vrbibus ſumma cum infamiâ & iniuriâ eiecit, ſuffocauit, ſuſpendit, diſſecuit, equis diſtraxit, flamma exuſſit; nec vllum crudelitatis etiam Neronianæ genus intermiſit. Dum ea viæ præmuniendæ gratiâ in auidas aures infundit Eteſius pratum iam eramus emenſi; ante tamen quam propius ad ſyluam & adiacentem rupem poſſemus accedere, fruticetum tranſeundum fuit. Hîc vti ſuperius omnia triſtitiæ, & mortis cuiuſdam faciem induerant: niuibus & gelu horrida omnia: frequentes nihilominus illic Iuniperi etiamnum virebant, & vero fructu etiam, non minus vberi, quam præſtanti abundabant. Nonnullæ ex ijs erant grandiuſculæ, ac arboris proceræ etiam altitudinem æquabant: & harum baccæ nucis iuglandis, aut ponticæ magnitudinem æquabant: cæterarum fructus erat quidem aliquanto minor, ſed viciſſim copioſior. Cum priorum magnitudo nobis videretur inſolens; tales excepit Mnemon, vt plurimum Tuſcia alit. Nam illic Iuniperi in arborem proceram aſſurgunt: baccæ earundem in nucis magnitudinem grandeſcunt, rotundæ omnes, odoratæ, & ſapore quidem ſubamaræ, ſed virtute variâ præſtantes: ſtomacho enim, & pectori mirè conducunt, & ſunt vti & arbor ipſa aduerſus ſerpentes, & ictus ab ijs incuſſos præſens amuletum. Neſcio ſubiunxi hic ego Eteſi verumne ſit, an ſecus;

quod

quod audire me aliquando, aut legere memini: templum Ephesinæ Dianæ ex Iuniperinis trabibus suffultum fuisse: propterea, quod Iuniperi materies sæculo integro sine carie, alioue vitio perduret. Nihil respondet Etesius, à vero aberras, Sanouise, nisi ante te Plinius aberrarit. qui idem apertè asseruit. Vti & illud: Ignem semel accensum in Iunipero, si cinere suo obruatur, anno integro foueri. tum ad Orarchontem conuersus; quarum inquit, auium, Orarchon deliciæ sunt hæ baccæ? Turdorum inquit ille, nam ita aucupes tradunt: qui & aiunt eosdem baccarum opera potissimum capi. Earum enim, inquiunt, amore allectæ ad nos hiberno tempore aduolant, & se capiendos exponunt. Hinc est, subdit Etesius cur easdem trimestres vocarit Plinius, quod scilicet apud nos hibernis duntaxat mensibus morari, aut certè tunc frequentius à nobis videri soleant: quos etiam idciro Isidorus turdos à tarditate dictos existimat, quod tardè ad nos veniant, & tardè ad calida se recipiant. Eo autem tempore apud nos baccarum ingens in fruticetis passim est copia. quæ autem eosdem vsitatior capiẽdi sit ratio iam iam oculis monstrabo. simul eò deduxit: vbi viæ in angustũ inter humiliores, & baccis onustiores Iuniperos coibant. Illic ex inflexo in arcum vimine laquei pendebant, & circa hos bacciferi rami; qui ita collocati erant, vt, vbi turdus baccas tentaret rostro decerpere, collum laqueo insereret. Cum deinde paululum essemus progressi, turdos aliquot ea ratione captos inuenimus

quos laqueo Eteſius expediuit, & cum manu vnum aliquem teneret, ad Litholeonta, quid inquit, exiſtimas Litholeon, in aue hac adeo nobili, & his inſidijs intercepta adumbrari? ſi inquit ille, quæ aliàs de hac volucre legi (ſum enim auium perquam ſtudioſus) apud me expendo, & ſimul illa, quæ antea à te de odio Ruthlei & Luciani in Hetærium audiui, adiungo, non malè opinor, in turdo Hetærium, in aucupe Ruthleum & Lucianum, & ex vtroque hoc infami parente enatam ſobolem: in laqueo eorundem inſidias, & artes quibus Hetærium ad necem quærunt, & vero etiam internecant intelligi. Ac inprimis in vno aliquo doli & fraudis genere facilè cætera intelligi, certum eſt. Deinde quam hoſtili in aues ſint animo aucupes, quantâ barbarie, & crudelitate innocens hoc animantum genus, quales hi turdi ſunt, deſæuiant, nos omnes credo oculati aliquando teſtes fuimus. Denique in turdo rectè Hetærium video. Nam inprimis turdus admodum præſtans eſt auis, vt pote cui Principatum inter volucres Martialis meus tribuat. Nam.

Inter aues (inquit) *Turdus: ſi quis me Iudice certet*
Inter quadrupedes gloria prima, Lepus.

Eâ nihil item melius eſſe affirmat Horatius, ita enim ille.
Nil melius Turdo.

Deinde in imitanda voce humana perquam ſolers eſt. Nam ſi Plinio fides Claudij principis Agrippina turdum habuit,

qui

qui omnium sermones imitabatur: ad hæc cantus suauitate excellit ita enim, Scaliger eundem appellat

Dulci Turdule docte murmurillo
Asperas animi leuare curas.

Turdum præterea Daphnium appellauit Clemens Alexandrinus, quod laureis baccis vehementer delectetur, & nusquam ac in laureto sit libentius. Denique naturæ quodam dissidio noctuam, & accipitrem sibi maximè infensos fugit. Quid iam aptius in Hæterium quadret? quid enim illo inprimis à Chemonij præsertim iniurijs, & sæuitiâ exercito, aduersis probato, in rebus arduis cognito nobilius? quid eiusdem eximiâ virtute, & probitate præstantius? Quid illo in addiscendis arcanis omnibus, quæ Phœbus vulgo mortalium ignota esse voluit, solertius? quam artem ex ijs, quæ libero homine dignæ sunt, non callet? quæ lingua in orbe terrarum est quam non didicerit? quid eius propè diuinâ dicendi suauitate dulcius? copiâ vberius? vi efficacius? quis vnquam mortalium, ac ille iucundiùs medias inter lauros versatus est? quis laureas aut lauros plures nobilioresque, ac ille ex recondita exquisitaque scientia præclarisque victorijs promeruit? quis noctuas tenebrarum amãtes, accipitres rapto viuere solitos, Ruthleanos, inquam, & Lucianistas magis ac ille deuitat? iam supra satis dictũ est de capitali dissidio quod hos mutuo à se diuellit. Subinuidebat Orarchon ea à Litholeonte nõ sine aliquo

Etesij

Etesij applausu dici, æmulationis igitur studio accensus; Ego vero Etesi, excepit non minus congruè existimem, Hetærium nostrum, aduersis præsertim exercitatum in his adeo iucundè virentibus inter niues & frigora, & immites ac asperos ventos Iuniperis earundemque nobili fructu repræsentari. Cur ita sentiam, multa sunt quæ persuadeant. Ac inprimis, quod non solum vti visâ superius palma & reliquę id generis arbores ac herbæ, virore suo tam læto Chemonii iniurias triumphet, sed quod præterea fructu copioso & nobili eo tempore abundet, quo arbores reliquævelut emortuę ne folia quidẽ habẽt: in fructu id etiam inprimis singulare, q̃ vbi baccas, eiusdẽ vel digito, vel aliter comminueris, aut etiã igni accenderis (quod & ipsi Iunipero conuenit) odorem minimè ingratum exspiret. quo dicto, vt fidem oculis faceret vnam alteramue digitis effregit. Tum etiam idem hîc fructus, vti & arbor nobiles alias in se virtutes complectitur vti iam supra dictum. quod iam aptius Hetærij symbolon totus pene hic annus exhibuit! Nam quid illo toto hoc seculo inter turbida quietius? inter tristia lætius? inter aduersa amœnius? inter ruinas erectius? inter procellas tranquillius? in hibernis iniurijs velut viridius? quam vberem, quam præstãtem inter calumnias, exilia, supplicia fructum, quam oculis amœnum, quam naribus cœlestibus præsertim gratum tulit? quam suaue contusa eius & pressa patientia, quam iucundè flammis accensa virtus illius redoluit? quis ferè efficacius atque præsentius hactenus aduersus pe-

ctoris

ctoris vitia, & anguium virus, ſtygij inprimis colubri ictus remedium, ac ille orbi præſcripſit? quam toto iam ſeculo moribus integer? quam à vitiorum carie, & putredine incorruptus extitit? quantum non iam ignem, ſed incendium ab Ignatio excitatum amoris diuini, nec integro aliquo anno, ſed ſeculo in animi medullis aluit? quo inflammatus quã nullo negotio ſe ab omni hibernâ iniuria rabieque defendit? ſupra quam dici poteſt ea vtriuſq; æmulatione recreatus Eteſius, vtrumque magnificis verbis laudauit, & ſimul ex fruticeto verſus ſæpius iam dictam rupem eduxit. antequã vero eò veniremus, ex more aliqua in anteceſſum velut præmoniturus, conſultò de lupis ſermonem iniecit, vt longiori colloquio proluderet. Res inquit admodum peſtilens eſt, lupus. Nam improbâ ventris ingluuie vrgente ne ab hominum quidem cæde abſtinet. Cum ea enim vehementius ſtimulat, hiberno præſertim tempore, quo & fames acrior, & minor prædæ eſt copia, gregatim ſubinde per villas, & oppida lupi graſſantur, & non ſolum in oues, & id generis alia pecora deſæuiunt; ſed adeo etiam in homines inſurgunt. Nam in ditione Gebennenſi quandoq; lupus xxx. homines interfecit. Imo excepit Mnemon, ipſos adeo Pariſios aliquando luporum greges ingreſſi Lxxx. facile homines in partes diſcerptos immani facinore deuorarunt. Sed vnde eſt, Eteſi, hîc ego inquiebam, capitalis illa, adeoque decantata inter ouem & lupum naturæ diſcordia? quæ tanta eſt, vt ſi Alciato viro cæteroquin eruditiſſimo, & fide digniſſimo credere

debeamus ne tympanum quidē ex pelle ouillâ ſonare conſueſcat, quoties aliud ex pelle lupinâ inſonet. Ita enim ait

Cœtera muteſcent coriumq; ſilebit ouillum,
Si confecta lupi tympana pelle ſonent.
Hanc membrana ouium ſic exhorreſcit, vt hoſtem
Exanimis quamuis non ferat exanimem.

Imò, addit autor non obſcuri nominis, ad vlulatum lupī quandoque teneros agnellos emori, & hinc illud diſſidium adeo poëtis celebre eſt, vt illi rem aliquā quæ fieri nequeat, expreſſuri dicere ſoleant, ante ouem lupo nupturam. & idcirco Horatius ſummum omnino odium ſuum in Melam quendam indicaturus

Lupis, inquit, & agnis quanta ſortito obtigit,
Tecum mihi diſcordia eſt.

Dum Eteſius parat reſponſum, lupus in fabula eſt. Nam ex ſylua vicinâ egreſſi tres lupi agnellos aliquot & hœdos celerrime fugientes inſequuntur, ex quibus vnum aliquem interceptum nobis inſpectantibus, & nequicquam inclamantibus diſcerpunt. Et eandem fortunam hœdus experturus fuiſſet, niſi noſtri clamores turbauiſſent. is igitur ex vnguibus quamuis non ſine vulnere aufugit. cuius carnem è vulnere teneriorem euadere Mnemon aſſerebat, eo quod in lupi ſpiritu tātum ſit igniti fervoris, vt eo etiam oſſa emolliat. Eò alluſiſſe poëtam ita canentem

Paruus onyx, vnâ ponetur cœnula menſâ,
Hœdus inhumano raptus ab ore lupi.

Eo-

Eodem ſpectare & illud:

Vel hœdus ereptus lupo.

Intereà in ſyluã vnde venerant lupi cum prædâ reuerſi ſunt. Ego cum innocentiſſimum animal tam crudeliter à belluis immanibus contrucidari viderem : dici vix poteſt quantâ commiſeratione ſim tactus: quidquid in me viſcerum fuit ſenſi commoueri, ac hęc apud me primum tacitus voluebã, tum etiam cum dolor nimius eſſet, nec claudi iam amplius pectoris anguſtijs poſſet, foras prorupit. ingemiſcens igitur dicebam.

Candide, lanigeræ placidum genus, agne, parentis
Tam crudam poteras quî meruiſſe necem?
Quam mollem niueo circumfers vellere lanam
Mitibus illa quadrat moribus apta tuis.
Ingenium natura dedit non acre; negauit
Quæ reliquis tribuit vulneris arma, tibi.
Vt rapidi, ſæuo non mordes dente, moloſsi;
Non frendes, terror ceu Calydonis, aper.
Vngue nec incuruo laceras velut vrſa libyſtis,
Getulusue leo, vel violenta tigris.
Non rabies eſt iſta tibi, non illa cupido
Vindictæ ſtimulat. Pectora felle carent.
Et damno neſcis, & neſcis vulnere quenquam
Lædere; ſed potius commoda mille paris.
Vtilis humanos concedis totus in vſus.
Mortales ornas vellere, carne cibas.

Et tamen (ô nimium fatum lachrymabile!) cedis
Innocuus rabido præda cruenta lupo!
Ille (quis heu lachrymas teneat!) deducit hiantes
Immensùm fauces, qualis & ætna suas;
Artubus & tremulis dentes immergit acutos,
Viscera queis miserum sanguinolenta rapit.
Latrantiq; dapes stomacho submittit, & explet
Carniuoramque famem, sanguineamque sitim.
O Lupe crudelis, roseique cruoris hirudo.
Te nihil hic totus sæuius orbis alit.
Hæc prædo, melius te sors funesta deceret
Quam diræ cædes tot meruêre tuæ?

Ad hæc ad me Etesius, si inquit *Sanouise*, innoxiæ pecudis cædes te tantopere commouit; quid tibi animi futurum fuisset si coram astitisses, cum velut lupi immanes, & sanguinis auidi Lucianistæ Heteærianos ceu agnos noxâ immunes circumdarent, & eosdem crudeli facinore suis è sedibus in Gallia, Belgio, Transyluania, Hungaria, Bohemia, Morauia, Silesia, Prussia, Brasilia, ac in tumultu hoc Suecico è multis vrbibus, & ante hac Aquisgrani suo è domicilio exturbarent? Quo animi sensu ad fuisses, & oculis inspectasses quemadmodum in Anglia quæ cæteroquin lupos non alit, lupis omnibus atrociores ibidem Lucianistæ in Heteærium oui innocentiâ parem, deductis faucibus, & in necem paratis dentibus irruerent? ac Londini quidem, *Campianos, Briantos, Cottamos, Soutuelios, Filocos, Garnetos, Eboraci ve-*

ci vero walpolos, Dorcestriæ Cornelios, Vigornæ Olcornos, exquisitis supplicijs enecarent? In Scotia Cascouiæ *Ogelbeos*, in Hibernia Conchæ *Collinos* mactarent? Quo tenerrimo commiserationis affectu vidisses, quemadmodum in Gallia Hugonottæ *Salesios* & *Saltamochios* Albenaci, Claudiopoli in transyluania Arriani *Emmanueles Nigros*, Bacharaci in Germania Vsenulcani *Thelenios* excarnificarent: quam acri dolore in mari Balthico spectasses, si coram astitisses, quo furore Sueci in *Laternas*, Basilico autem quarabie lupi marini, piratæ inquam è rabioso calui parentis sanguine orti insurgerent in *Azebedium, Castrios, Aluaros Riberam Fonsecam, Andradam, Mendez, Acostam, Hernandezium, Fernandezios, Vœnam, Consaluos, Bragam, Fernandum, Scribanum, Maioricam, Belgadium, Correas, Rodericum, Lopezium, Sanctium, Fernandos, Nunnium, Zuraram, Suaresium, Magalanum, Dinyum Zauream, Calderiam, Martinum, Pererios, Carualium, Baizam, Vasquezium Fontaureum, Paciecum, Diarios, Goezium, Aragonium, Paullum, Paysium*, & plures alios ceu totidem innocentissimos agnos inter lupos irruerent? qua barbarie enecarent? quid inquam tum animi tibi futurum fuisset Sanouise!

Inter hæc dum iter prosequimur abire nubes, serenari cœlum, ventis asperis, & turbulentis mites & placidi succedere cœpere, & aliqua pene vernantis auræ facies leniter visa abblandiri. Nobis subitam, eoq; loci inspiratam auræ

mutationem summè admirātibus Mnemon respondit eam ab Alcedonijs esse, solere enim Alcedinem hibernam auiculam medio fere Ianuario nidum construere, oua ponere, & exclusos hinc pullos quindecim dierum spatio educare: quo toto tempore placidissima cæli temperies esse consuescat: silere tum ventos: ijs seu fluuijs, seu mari, vbi nidificet, malaciam esse. Id autem beneficij, subiecit Etesius, seu potius priuilegij, huic aui ab authore naturæ indultum est, vt cum alio anni tempore nisi hiberno pariendi officio fungi nō possit, tum non minùs tranquillo & placido cælo vtatur ac reliquę volucres ad partum suum excludendum. Interim iam extimam syluæ partem prægressi prope à rupe aberamus. Ad quam vbi accessimus, & iam in pede illius substitimus, latè oculis in lacum subiectum excurrimus. In eo quieta, & pacata erant omnia: vnda oleo tranquillior in placidū æquor iacebat. Sciebamus iam quidem ab Alcedinis nido id esse; sed nidi ipsius inspiciendi desiderium erat, vnde tanta vis existeret. Id cum Etesio insinuassemus; illi satisfacturus, è rupe nonnihil ad lacum descendit, ibi in arundineto littori vicino ad rupem nidum inuenit, & nobis monstrat. Cum ingeniosissima auicula non sine mirabili naturæ solertia hunc in modum concinnatum iam exædificarat. Acûs pisciculi, quo vesci solet, spinas inter sese deuinxerat, rectis alijs, alias transuersas ceu stamini subtegmen implicuerat; nidum deinde in orbem reductum ita coaptarat, vt, quemadmodum ex Plutarcho Mnemon addebat, nec saxo frāgi, nec ferro facile dissolui posset, imo nec fluctibus mergi

gi. Ea enim materia constare aiebat quæ si forte in vndas incidat, subito aquis humectata intumescat, & fluctibus subituris viã obstructo ostiolo intercludat. Ipsa Alcedo, Etesius subdit, passerem magnitudine fere æquat estq; colore cyaneo, qui ex viridi, & cęruleo leniter erubescit. Eadem à nonnullis ornithologis pręclaro nomine fluuiorum luscinia vocatur, ob cantus suauitatem. Hic ego ad Etesium necesse est, inquiebam magni interesse alcyonem suo in partu non impediri, & quod consequens est, nobilem omnino, & prope cœlestem hanc auem esse cui educandæ tota natura è magni numinis iussu faueat, & quodammodo famuletur: cui venti, & Chemonius mortalibus cęteroquin, & belluis infestus, subseruire cogatur. Cui gens neptunia vndis alioquin suis crudelitate non impar tanto studio gratificari consuescat. Est enimvero, excepit Etesius, auis nobilissima alcyon. Cantu luscinię suppar, ingenio in nidi exstructione, imperio sibi diuinitus concesso in Chemonij, vndarũ, aëris, ventorũq; iniurias, hiberni frigoris tolerãtia omnibus alijs longè superior. At longè nobilior Alcyon Hetærius vester est, cuius hæc ipsa amplissimũ symbolon est, vt patet è dictis. Quid enim in hiberna hac aue excellẽs, quod in Hetærio vestro nõ sit multis partibus excellentius? an quod suauissimè medijs in vndis cantillet?

Aldrouãdus in alcyone.

Vester at ambrosia præcellit Hetærius ipsam
Dauliadem dulci nectare vocis auem;
Orbis & alterius volucrum polyglottida primam
Vincit, aues vincit quas paradisus alit? Gut-

Gutturis angelici dium probe nectar adæquat;
Suaue quod illius tum fluit ore melos;
Cum Boreas, Aquiloq; furit; cum mugiit æquor:
Cum spumante salo turbida sæuit hiems.

An quod solertissimo ingenio sit prædita alcedo? An quod à magno autore naturæ aliquod velut imperium in vndas, & Neptunum adeo nacta sit?

Vester at ingenium nec majus Hetærius optet:
Quo cepit quidquid magnus Apollo docet.
Vester & æquoreis ius dicit Hetærius vndis
Ætheris è iussu, Numinibusq; maris.
Illius ad nutum quæ Celticus æquora Nereus
Strauit? & Oceanus quas Batauæus aquas?
Quas non sedauit Neptunus Balthicus vndas?
Quas non Æolidæ composuêre minas?
Scilicet vt nasci cœlo concepta sereno
Progenies posset, cœlite digna toro;
Digna coronari cœlesti tempora lauro,
Digna tulisse suâ cælica sceptra manu.
Quid non tentauit? quas non surrexit in iras
Æolus, Oceanus, styxq́;, solumq; simul;
Illa sub æthereas ne stirps tam nobilis auras
Prodiret superis post socianda choris?
Jussit at indomitos æther infringere motus
Jrarum, & tumidas continuisse minas.
Imo reluctantes etiam seruire coegit;

Et non exitium ferre, sed auxilium.
Diuinæ contra soboli quam fauit Olympus?
Quoq; suum amplexus pignus amore fuit?
Phœbus vt à nullâ temeratus nube refulsit?
Vt molli flauit lenior aura sono?
Vt placidus iacuit trãquilla per æquora Nereus?
Vt planum quæuis cymba tenebat iter?
Quam toto placata Deus dedit otia ponto?
Hæc cœlo soboles quando creata fuit?

An quod Chemonij qui maximam partem reliquarum auium suo è regno eiectas alias sedes cogit inquirere minas & iras rideat alcyon?& ipsum vel inuitum impellat frigus in partum suum temperare?

Vester at hiberno durauit Hetærius artus
Frigore, brumales ridet & ipse minas.

Vt facilè hucusque videre licuit. commodè igitur HETÆRIUS dura perpessus in alcyone adumbratur: quem viribus omnibus conati sunt Ruthleani, & Lucianistæ impedire,ne adeo cœlo charam sobolem educaret: sed obsistente Soterio res in conatu hæsit. Nam inter dirissimas passim calumnias, inter exilia, & vero etiam supplicia nobilissimam prolem cælo educauit. Et eam in rem non vno in loco admiranda Dei prouidentia ipsi deseruire quodammodo vel inuiti compulsi sunt. Suadeo igitur

Tot tandem iam docta malis desiste, furorem
Seda ,pone truces, Hæresis atra, minas.

Obsistit, vel cæca vide. Soterius ausis.
Dextram ne lædas, quem cupis, ipse tenet.
Tandem quod sanat, non sauciat, abijce ferrum:
Ne prosis hosti, lædere siste, tuo.
Liligeris quondam iußisti excedere regnis
Perfida, sed qualem post redijsse doles?
Quantus ab exilio creuit? circunspice: largam
Inuidiæ segetem liuidia cerne tuæ.

Idem & in cæteris Prouincijs & Regnis, vnde aliquando eiecisti, videbis. Sed furor consilij incapax est, ira frenum non capit, nesciunt odia terminum, cum inueterarunt. viderunt quidem licet ægris oculis Ruthleani, & Lucianistæ, & hi inprimis concedi medijs in vndis, & procellis ipsâ sæuiente brumâ, & bacchantibus ab Arcto ventis alcedonia Hetærio à propitio æthere; prolẽ ab ipso numerosam, & raris dotibus excellentẽ innubi cœlo concipi, eodẽ mirè fauente educari dum in maturiorẽ ætatẽ adolescat: sciunt etiam nihil à se prætermissum, quo partus eiusmodi posset impediri; ab irato Chemonio & Æolo implorata auxilia, & etiam promissa & exhibita, sed obstante Soterio non in perniciem sed salutem cessisse: Et tamen ea nocendi rabies est vt centum ipsis iam annis non imminuta, sed aucta sit. indiesq; pene dirius, ac vnquã sæuiat. Id autem bene in hac Hetæriana hyeme obseruandum idem monuit; quod, licet satis aspera sit, subinde tamen aliquam temperiem, vti & reliquæ soleant, admittat: id quod potuerit in alcedonijs videri: Et id Soterij,

in-

inquiebat ſuauiſſimæ in Hetærium prouidentiæ inprimis conuenit. Ergo nec hic

--Semper imbres nubibus hiſpidos
Manant in agros, aut mare Caſpium
Vexant inæquales procellæ
Vſque: nec armeniis in oris
--Stat glacies iners
Menſes per omnes aut aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.

Sed & hic ſua rebus viciſſitudo eſt, vt nubilo ſerenum, frigori calor, hibernis Solibus, verni ſuccedant. Poſthæc à rupe deſcendimus, & lacûs limpidiſſimi littus aliquãdiu adhuc legimus. Hic ad littus affluxerat follis, ſeu pila quam cum extraxiſſet ex vndis Litholeon, hac Epigraphe inſcriptam inuenit. *Fluctuo, non mergor:* Tum ad Orarchonta Eteſius: an non & hic Heterium tuum aſpicis Orarchon? Imo vero excepit ille, nam vti hæc inſcriptio indicat, quantumcunque vndæ ſæuiant tantum viribus omnibus non poſſunt vt pilam hanc mergant; ita nec omnis Hæreticorum, & aliorum hoſtium omnium furor tantũ huc vſq; potuit vt Hetærium mergeret. In vndas quidẽ ſæpius maximè in mare Braſilicũ deiecit, ſed ſemper pulchrior euenit. Tum ad ſiniſtrã vallis noſtræ deflexímus, & alteram rupẽ ibidẽ extantẽ, & nemus illi vicinum adituri. In via dum Litholeon, ea, quæ proxi-

me viderat animo recoleret & in primis Soterij singularem erga Hetærium curam, prouidentiam, amorem consideraret quo nihil sineret eidem euenire, quod in perniciem eius cederet; quo hæreticorum in ipsum impetũ & furorem sæpe refringeret, satis superque mirari non posset, hæc iuuante phœbo in via imo è pectore effudit.

Totus ab igne tuo succensus Hetærius ardet
Soteri; res ipsa docet, sexcenta loquuntur
Argumenta, sacroq; tuo pro nomine fusus
Purpureo probat ore cruor. Nam flamma camino
Trinacrio minor erumpit quam nutriat imo
Pectoris ille sinu: quo cum præcordia feruent
Excipit intrepidus quidquid furiosa tyrannis
Tormenti inuênit: sed amori æquißima tanto
Causa subest: Amor ille tuus quem reddis amanti
Maiorem, dignumq; Deo: quo accensus eundem
Pupillæ ritu incolumem defendis aduri;
Non sinis à flammâ nisi sit latura nitorem:
Non damnum; sæuoq; vetas à vulnere lædi
Hinc nisi sit fluxura salus: quas arsit in iras?
Quos sumpsit vultus? quæ tela parauit in ausum?
Quid liquit? centum rapido dum cynthius annos;
Deuexit curru, quas se non vertit ad artes
Ruthleus? caluumq; suo qui nomine præfert?
Hi primi quondam cecinerunt claßica: primi
Arma tulêre manu queîs cæsus Hetærius atræ

Vi-

Victima concideret morti, mox cornua Teuto
Certatim, Celtesq; ferox; Bœmusq; Britoq;
Hollandusq; vafer sequitur simul vnius omnes
In caput æterno constricti fœdere iurant.
Hûc iras, tectosq; dolos, & pectoris æstûs
Vulpini cogunt. Rabido concessa furori
Arma relaxasses? lacerassent dentibus olim
Ceu lupus acer ouem: nec Hetarius amplius vmbram
Nominis, aut famæ te non tutante teneret:
Quæ tamen auricomo nunc concertantia phœbo
Præfulgens iubar effundunt vtrumque per orbem.
Perge, tuis accensa fibris quæ feruet Hetari
Flamma, fac vsq; nouis alimentis aucta calescat,
Soter! defende tui vel sanguine nomen:
Illud item vitæ precio sit carius: illo
Sic saluus, sic clarus eris, tutore *vicißim.*

FEBRVARIVS.

Persecutionem ab ethnicis continens.

INterea, vt nihil, in hieme præsertim, constans est, iterum cœlum mutauerat; & omnia lugubrem vultum resumpserant. Quia vero iam dies descendebat, ne in regione nos adeo immiti nox occuparet, iter vrsimus, quæ supererant lustraturi. Vbi ad siluam, cui rupes imminebat, peruenimus, crudele spectaculum se oculis obijcit. Arbores

proceras cæteroquin, & vti asserebat Etesius, præstantes, nonnemo securi miserandum in modum mutilarat. Nam quotquot rami ex trunco altius excreuerant, amputarat, & ita stipite quidem adhuc illæso lugubrem faciem intuentibus exhibebant; apparebat recens admodum vulnus esse, quod rami passim circa truncos proiecti indicabant. Solere autem à rustica gente id hiberno potissimum tempore fieri monuit Etesius, vt pro foco alimentum habeant. Ego cum intuerer paullo diligentius, & vna mecum cogitabundus expenderem quid eæ arbores illum in modum accisæ indicarent, horatiana ilex menti occurrit. quam venusinus vates asseruit ex cædibus vberius creuisse, vnde facilè collegi etiam non incommodè in his ita ferro deformatis arboribus HETÆRIUM repræsentari. qui & ipse per varias suorum cædes in vtraque præsertim India, & Africa mirifice creuisset. Id cum Etesio indicassem, rem enimuero Sanouise inquit, rara ingenij solertia assecutus es. Nam quemadmodum hæ arbores quidquid ab inimica securi accepere detrimenti, luculento fœnore resarcient, vbi verni soles redierint: tum enim ex vno aliquo eiusmodi vulnere quale hic videtis, rami etiam plures repullabunt: qui non in eandem solum magnitudinem cum prioribus, sed in longe etiam maiorem succedentibus annis exsurgent. & siquidem post aliquot annos hoc eodem loco subsisteretis, & verno quidem tempore quo

Formo-

Formosissimus annus

est, quantum emolumenti ab his cædibus suis & frondium iacturâ hæ arbores cepissent, non sine magnâ admiratione videretis: ita & effera gentilitas Indi præsertim, & ex hisce Iapones imprimis, & Brasili Reges, Dynastas, Sacrificulos, incolas suos securibus in Hetærium armauerunt, iusseruntque quantâ vi maximâ possent, ictus maximè lethales infligerent, & quidquid sors primo, & furor offerret; succiderent; nec manus solum, & pedes, sed vel maximè capita resecarent. Sed quid barbara feritas cædendo euicit? Creuit Hetærius ex vulnere & pene ex continuatis cædibus vberiùs, vti olim Romani,

Per damna, per cædes, ab ipso
Duxit opes, animumque ferro.

Opes quidem; cum ex cæde vnius cuiuspiam, cui impia, & cruenta securis ceruicem incîdit, multa subinde CHRISTIANORVM millia succreuêre, multo maiore luxurie, quam ex cæsæ arboris trunco nouelli ramusculi & stolones pullulant. animum verò; cum generosissimâ MARTYRIS alicuius atque inuictâ in summis tormentis constantia; alios quidem in similes pro Soterio cruciatus tolerandos animauit; alios vero, & sæpenumero prope innumeros omni humanâ eloquentiâ etiam prope diuinâ potentius mouit ad fidem

fidem illam eandem amplectendam, pro quâ tanta fortitudine eiusmodi heroas morientes conspicerent. Inter hæc paulatim in intimam syluam abijmus, altissimâ niue pene sepultam, & acerrimo frigore adustam; passim antra, & spelea non sine aspicientium horrore vastùm hiabant. Addebat Mnemon in ijs Satyros, Faunos, Lycanthropos, & id generis monstra vultu homines, cætera capras aut lupos delitescere, qui vbi fames, & ingenita feritas vrgeat, etiam in homines desæuire soleant, & ex Hetærianis illic non paucos à belluis illis (in quibus nos iussit Ethnicos efferatos intelligere, vti & in sylua ipsa qua parte funestas tantum arbores cupressos, piceas & similes tulerat, ipsam gentilitatem agnoscere;) crudeliter esse peremptos atque tumulatos. Illic enim *Criminales, Riberas, Mendezios, Correas, Fernandezios, Seguras, Enriquezios, Castrios, Syluerias, Martinezios, Linares, Teballios, Baptistas, Redondos, Lopezios, Carualios, Damrillos, Louos, Michios, Chusaos, Gotos, Spinolas, Aquauiuas, Araneolos, Antonios, Franciscos, Paciecos, Bernos, Tapias, Mastrillos*, aliosque complures inuictos Heroas priscis martyribus fortitudinis gloria nō longè dispares, sepulchrum aut potius perenne victoriæ omniū gloriosissimæ monumentum inuenisse. Interim ad rupem veneramus, at quam dispar hic in lacum quidem sed longe priori dissimilem despectus! nam glacie omnia rigebant, quam adeo firmam esse astruebat Etesius, vt non homini solum sed & oneratissimo cuiuis plaustro ferendo par esset. ex

rupe

rupe igitur in eandem deſcendimus: in qua ne fallente veſtigio caderemus nix impediebat, quæ paſsim eandem operuerat. Quamuis vero nobis hîc nihil occurreret, quod ad Hetærij dura, & dira patientis à truculenta gentilitate gloriam illuſtrandam magnopere videretur conducere; aliquid tamen Mnemon attulit. Nam Cryſtallus aiebat in media glacie concreſcit, aut ipſa potius glacies in cryſtallum acri, & diuturno frigore conuertitur. Et ideo hac ipſa cum vnda multò præclarius agitur, ac illa priori quam alcyon nido ſuo vetuerat gelu conſtringi. Nam niſi inquiebat in glaciem, nec in cryſtallum vnquam abiret. Tùm nonnulla de huius lapilli precio, & præſtantia in medium adduxit. Eam gemmarum omnium fulgentiſſimam maximeque tralucidam eſſe, reliquis tamen illam nobilitate præſtare, quæ alba ſit, & inſtar clariſſimæ puriſſimæque aquæ colluceat. Ex eadem ab antiquis pilam fieri ſolitam, quæ ſolaribus radijs expoſita medicis in aduſtione corporum ſeruierit. Inde enim concepto igne corpora adurere conſueuiſſe. Cum paululum eſſemus progreſſi Chryſtallum media in glacie Mnemon inuenit, quam è glacie exſectam, vbi in manu habuit Eteſius; niueæ cuiuſdam lucis radios in oculos euibrauit, quibus eoſdem mirificè affecit. Tum ad nos: quam multas inquit eiuſmodi cryſtallos, ſeu hac potius in immenſum pulchriores, lucidioresque illic in Soterij aſtriferis regnis putatis mirifica in luce refulgere? quas eôdẽ Hetærius hoc SÆCULO identidem Soterio ſuo in diadema

submiſit? quotquot enim Ethnicorum ſæuitia interemit ex eius familiâ, totidem clariſſimæ velut cryſtalli ex eorum effuſo pro Soterio ſanguine concreuerunt, quæ non ſolum hanc candidæ lucis pulchritudine æquant, ſed etiam ſuperant: quamuis in eo ab hac diſcrepent, quod à materia vnde exiſtunt, aliquid rubicundum attraxerint. Per has nobiliſſimas cryſtallos diuturno gelu durata gentilitas ignem amoris diuini concepit, & quicquid noxij, corruptique humoris in affectis corporibus fuit, aduſſit. Quam iucunda lux paſſim ex his cryſtallis potiſſimum emiſſa, nunc per Indiam vtramque pellucidum iubar effundit; vbi antea caligo omnia oppleuerat: quam illic nunc omnia paſſim ardente æſtu amoris diuini conflagrant: quæ antea perenni hyemis gelu rigebant? quam purus, & integer ſanguis corruptiſſimis humoribus ſucceſſit? ſeu vt clarius loquar poſteaquam tam multi ex Hetærianis glorioſo martyrio traditam à ſe doctrinam confirmarunt, quam fulgens veræ fidei lumen cæcæ gentilitatis tenebris, quam pulchra tot deformibus vitijs virtus ſucceſſit? Id autem vt impediret barbara, & truculenta gentilitas quid non fecit? quâ cura, & diligentia portus, & aditus omnes non intercluſit? & cum aliter non licuit, glaciē Chemonij obiecit. quā ſæpe è varijs prouincijs & vrbibus eiecit? quanta feritate non paucos de quibus iam paulo ante, & ſuperius apud Calotherum fuſius actum, trucidauit? Quæ vnquam hyems crudelius in vndas, ac illa in Hetærianos exſæuijt? Quid autem tantò exquiſitiſſimę crude-

litatis apparatu consecuta est? Quod ab acerrimo frigore in vndas Hiems. Ex vnda gemmam effecit.

TVM AD NOS MNEMON: ET HACTENUS QVIDEM INQVIT ADOlescentes, spectastis Hetærium vestrum cum obtrectatorum calumnijs, cum hæreticorum odijs, cum Ethnicorum furore non sine gloria, & singulari suo emolumento decertantem, vincentemq;, nunc, si placet, eadem ex nouo poëta audite, qui hæc prælia & relatum ex ijs triumphum his suis versibus cecinit.

Inter tot ictus cur sine vulnere
Perstes Hetæri, cur adeo horrida
A clade surgas vsque maior,
Nobiliorque, tibi benignis
Asscribe Diuis. hi nisi temperent
Freno furorem, ni miserabili
Cruore gaudentes habenis
Imperij moderentur iras,
Sæuaque strictos excutiant manu
In vulnus enses, Iapeti genus,
Actum est: peristi. Vis furori
Iuncta suis truculenta totum
Implebit orbem cædibus: innocens
Nocensque iuxta vulnere concidet.

At prouidum Numen futuri,
Vt posita tumidi rebelles
Ponti procellas lege coërcuit:
Sic fixit iræ, quas neget egredi
Metas. Hetæri, mitis æther
Exitium tibi machinantes
Confregit hostes. Dira calumnia
Timenda sæuo fulmine dentium
In te feroces fudit iras:
(Qualis aper Calydonis olim
Non Sauciandam sæuit in arborem)
Sed fregit ipso in vulnere dentium
Sicas, & in se tela torsit,
Quæ furibunda tibi pararat.
Ruthleus orbis dira lues; nigri
Stirps Lucianus Ditis, & Hæresis;
Vtroque peior, mugientes
Æolidûm sibi iunxit auras,
Totamque Brumæ barbariem: vadis
Versura ab imis æquora, quæ sua
Hetærius sulcet carina.
Ast abiere leues in auras
Minæ. Sereno clarior æthere
Phœbus refulsit: Puppis Hetærii
Vndas per æquales cucurrit:
Nec gelidis fuit Arctos ausæ.

Tur-

Turbare ventis, cogere nec gelu.
Sed Bruma qualis frigora mitigat,
Tranquillat vndas, & potente
Imperio iubet insolentes
Mordere frenos Æolidas, suæ
Cum nempe proli nobilis alcyon
Brumæque, ventorumq; victrix
Construit ingeniosa nidum:
Et talis auras temperat Hæresis
Coacta iussu Numinis inclito
Hetario: puppem nec ausint
Bruma, vel Hippotades morari.
Trux hinc Erinnys sæuiùs indolens
Nec iam furoris sanguinei potens,
Vt ilices tondent bipenni
Agricolæ: secuit securi
Quodcunque primum sors tulit. & mare,
Et terra crudâ cede rubent. suas
Hîc iunxit iras efferatus
Brasilus, Afer, atroxq; Iapon:
Fregêre iunctis colla securibus.
Frustra. Bipenni cæsa repullulant.
Hetario cædes quid obsint:
Aspice, vterque docebit orbis.

Hîc tum ad nos conuersus Etesius, videtis inquit adolescentes, solis spatium carpi paulatim à vespero, nec dubitem vos

 vo-

voti iam compotes Nocoliam anhelare, vt, quæ vidiſtis cum dulciſſimis Sodalibus veſtris & alijs omnibus quibus Hetærij nomèn ingratum non eſt, nec ſplendor inuiſus, communicetis. igitur, ſi videtur; nunc Nocoliam reducam. Pergratum id nobis quidem fore ſignificauimus, interim tamē dubij hærebamus; qua tandem ratione illud eo præſertim adhuc die eſſet effecturus. Cum ecce tibi ad eius imperium pene momento alatus currus ſiſtitur, cuius ille beneficio breuiſſimo temporis ſpatio orbem terrarum peragrat; tantamque rerum omnium notitiam acquirit: rotæ item, & equi alas gerebant. Cui cum nos imponeret, niſi inquiebat probè iam noſſem, genuina veræ nobilitatis decora, animos veſtros ad altiſſima quæque natos ſublimioris auræ patientes, nec vllum à vertigine periculum eſſe; hunc ego currũ nunquam iuſſiſſem aſcendere, verum cum bene perſpecta animi veſtri magnitudine facilè intelligam aërium iter vobis non periculoſum, ſed iucundum fore; agite; currum aſcendite.

Nec mora pennigeris in iuſſa citatiùs Euris
Alipedes præcepit equos, volucremq; quadrigam
Currere; iamq; volant per inania regna furentûm
Aeolidûm, celeresque rotæ, rapidique caballi,
Noſque ſimul: punctumque breuis vix fluxerat horæ,
Vrſula Diua tuæ *reduces aſsiſtimur* vrbi.

Et loco quidem eodem, vnde ſolueramus. Curru exſcendimus, & actis impensè gratijs pro eo tam raræ humanitatis exhibitæ officio ab eodem Nocoliam verſus receſſimus, ſumma votorum aſſecuti.

F I N I S.

ERRATA.

Pagina 1. *v.* 1. Soluerat. *lege.* soluerant. *p.* 6. *ver.* 9. frontes *l.* frondes *p.* 8. *v.* 7. subectas. *l.* subiectas. *p.* 12. *v.* 10. frgida, *l.* frigida. *p.* 22. *v.* 14. probibitis, *l.* probitatis. *Ibid. v.* 18. Apoinællo *l.* Apollinæo. *p.* 52. *v.* 3. læuia, *l.* leuia, *p.* 53. *v.* 6. Dalmatos *l.* Dalmatas. *p.* 81. ille, *l.* illæ, *p.* 86. manu, *l.* manus. *Ibid.* arte, *est superfluum.* *p.* 131. perspicatius, *l.* perspicacius, *p.* 145. reditutas, *l.* redituras *p.* 149. secula, *l.* specula. *p.* 157. *v.* 1. qui, *l.* quæ. *Ibid. v.* 6. disputation, ecum, *l.* disputatione, cum. *Ibid.* confilium, *l.* consilium, *p.* 159. ferentibus, *l.* ferentes. *p.* 164. collectam, *l.* collectum. *p.* 165. *v.* 4. cæditq;, *l.* ceditque. *p.* 171. *v.* 7. æthyopia, *l.* æthiopia. *p.* 172. *v.* 12. hec, *l.* hæc. *p.* 191. *v.* 15. odoris, *l.* caloris. *p.* 200. *v.* 1. tantas, *l.* tantos. *p.* 206. *v. vlt.* Ebore, *l.* Eboræ. *p.* 209. *v.* 9. egressu, *l.* egressu. *Ibid. v.* 10. mito, *l.* miro. *p.* 210. *v.* 14. subsecura, *l.* subsecuta. *p.* 214. *v.* 10. decantantissimos, *l.* decantatissimos. *p.* 215. *v.* 25. burgidum, *l.* turgidum. *p.* 232 *v.* 1. explorarant, *l.* explorant. *p.* 237. *v. pen.* liuguam, *l.* linguam, *p.* 247. *v.* 22. Cedros, *l.* cedrus. *p.* 250. *v.* 1. eloquentiæ *dele.* *pag.* 253. *v.* 21. sanguiue, *l.* sanguine. *p.* 258. *v.* 9. suneſtum, *l.* funestnm. *p.* 258. *v.* 14. oculos, *l.* oculis. *Ibid.* ex, *dele.* *pag.* 259. *v.* 17. innolescuat, *l.* innotescunt. *pag.* 293. *v.* 9. cecidisset, *l.* cecinisset. *Ibid. v.* 12. murmuere, *l.* murmure. *p.* 294. deadema, *l.* diadema. *p.* 246. rationes, *l.* nationes. *p.* 326. *v.* 1. dentem, *l.* imo vti aper dentem. *p.* 330. *v.* 12. reliquię, *l.* reliquæ. *p.* 335. mona- *l.* mono- *p.* 342. fortasse, *l.* fortassis. *p.* 340. innocens, *l.* in innocens. *p.* 352. *v.* 2. insonet, *l.* ansonat. hæc & reliqua, amice Lector, corrige & festinantibus ignosce. Vale.